

ISAGOGE AD LECTIONEM

Epiſtolarum Diui Pauli Apoſto li, qua compoſitionis œconomia, & germana diſpoſitio indicatur.

A

Ben. Aretio Theologo Bernenſi.

LAVSANNAE.

Excudebat Frãciſcus le Preux, Illuſt. D. Bernenſiũ Typog.

1579.

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

QVanti momenti apud omnes pios esse debeat Pauli doctrina (Christiane lector) vel hoc vnũ satis indicat, quòd omnibus seculis quotquot extiterunt lucis & veritatis hostes, eò maximè omnes ingenij neruos intenderunt, vt eã vel euerterent apertè, vel astutè deprauarẽt. Digni profectò homines quos Deus cæcitatis & amentiæ tenebris inuoluat, quãdo ita accedũt ad Scripturas, vt eas vel conẽtur torquere violẽter, vel furiosè oderint, nisi ad arbitriũ sequantur. Sed vicißim agnoscenda singularis Dei prouidentia, qui semper excitauit pios Doctores, præsertim nostra hac ætate, à quibus sacra hæc mysteria ita perspicuè illustrata sunt, vt iã nõ sit obscuritati locus. Ne-

que vero etiam mediocris debetur iis gratia, qui tametsi integros commentarios non texũt, Theologiæ tamen candidatos plurimùm iuuant, dum totius orationis œconomiam, argumẽtorum seriem, & locorum fontes indicãt: ne, sicuti anteà factum est, in scriptis Apostoli temerè vagentur, tanquã in regione incognita hospites & peregrini. Ex eo genere libellum hunc D. Bened. Aretij doctißimi Theologi in ipsorum gratiam libẽter vulgamus: quem quidem ita speramus pijs & studiosis profuturum, vt simul agnoscãt ij quibus sacra sordẽt, & qui tantũ mirãtur profana, ne ipsi quidẽ Spiritui sãcto suã Dialecticen, suam methodũ, suam elocutionem deesse.

Vale. Lausannæ, 7.
Calend. Feb.
1573.

A ij.

DISPOSITIO IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

QVIS FVERIT AVTOR Epistolæ ad Romanos.

DE Paulo Apostolo primo loco dicendum est, quia communi cōsensu, nonsolùm huius, sed sequentiū etiam Epistolarū est autor, eóque liberiùs, ne deinceps in hunc locum nobis sit digrediūdum. Duo extant illius nomina: nam Act.7.9.13. Saul dicitur, & eodē 13. mox Paulus appellatur, quo nomine deinceps historia semper vtitur, adeóque constanter, vt D. Petrus in 2.

Pauli nomen duplex.

Epiſtola capite 3. Paulum maluerit
Saul. dicere, quàm Saulẽ. Saul indubitanter Hebræum eſt, ac ſonat poſtulatũ, quod nomen à parentibus Hebræis in Circuncisione, ſine dubio accepit, quemadmodum nos hodie in Baptiſmo noſtra accipimus nomina: & videntur eius parentes illuſtri nomine, illũ voluiſſe ornare, quale in tribu Beniamin magnificũ erat, propter primum regem Iſraëlis, qui
Paulus. eiuſdem nominis fuit. Pauli autem nomen variè interpretãtur, alij Hebræum, alij Græcum, alij Latinum faciunt. In primis autẽ mihi placet
August Auguſtini ſententia, qui contendit
Psal. 72 Latinũ eſſe, & rectè à paruo, id eſt
& homilia 71. modico, deriuat, nã antiquitus Pauli dicebantur parui. Qui à Græcis deriuant, quietum interpretãtur, hoc enim παῦλα ſonat. Verũ apud Græ-

cos

cos historicos nullibi reperies hoc nomen proprium esse, neque apud Thucydidem, Herodotum, aliósq;, imò ne apud Poëtas, Hesiodū & Homerū: itaque nō est propriū nomē vetustū. Apud recētiores quidē historicos reperitur, sed qui historias Latinas in Græcam linguam trāstulerunt, qualis est Appianus, Dion, Plutarchus, & similes: ex quo euidēter constat, nulla probabili ratione Pauli nomē Græcum posse dici, sed planè Latini sermonis esse propriā vocem. Minùs probabilia dicunt, qui originem ab Hebræis repetunt, cùm ex propriis linguis nominū sit deriuatio petenda, necdum probatum sit vocē esse Hebræam, quod quidem vtiliter admonet D. Hieronimus, quamuis id non seruet vbique. Nam in commentariis in epi- *Hieronimus.*

stolam ad Philemonem, initio & fine, admirabilem interpretatur, quia Pelé talé significat apud Hebræos, quasi Paulus à Pelè deriuetur. His vicini sunt, qui cũ non ausint fateri Hebræam esse dictionem, tamen asserunt à Saule defluere: sed his obstat, quod Latini Paulos habuerunt, priusquam vlla communione innotescerent ipsis Iudæi. Itaque non est probabile Latinos Paulũ à Saule sũpsisse. Hæc de Pauli nomine dicta sufficiant.

Quando cœperit dici Paulus.

Quæritur iã de tempore, quando scilicet cœperit dici Paulus, quod quidem magis curiosè fit quàm vtiliter, nam scriptura nihil certi habet hac de re. Ac quanquam de Saule quoque nihil expressum sit, extat tamen lex & consuetudo Circuncisionis, in qua simul octauo die nomina

na imponebãtur: itaque hoc ex consequenti demonstrari potest.

Quod de Pauli nomine dici non potest, cùm non gemina nomina simul imponerent suis infantibus: quare hic coniecturis & probabili sententia agendum est. Hieronimus indicat ex re gesta illi hoc nomen contigisse. Nam cũ Sergium Paulum Cypri Proconsulem, vt est Act. 13. conuertisset, ex eo facto, & deinceps semper dictum esse Paulũ. Nec obstat huic sentẽtiæ quod idem eodem capite dicatur Paulus, priusquã conuertisset Proconsulem: nam historiam postea conscripsit Lucas, nec erat cogendus, contra leges narrationis, quibus liberum illi erat boni ominis causa Paulũ nunc dicere, cuius historiam mox narraturus erat, vt cõstaret lectori quid de succes

Hieronimus in Ecclesiasticis scriptoribus.

ſu in hac narratione illi ſperandũ eſſet. *Augustinus.* Auguſtini verò eſt ſentẽtia, hoc nomẽ illi acceſſiſſe ob mutatam religionem, quam habet ab Ambroſio: *Ambrosius.* Probabile & hoc eſt, quãdoquidem & hodie Iudæi cum religione mutant nomina. Sed in Apoſtolo noſtro illud obiicitur, quod poſt mutatam religionem bis adhuc nominatur Saul, verùm id ratione non caret. Nam Spiritus S. Iudæum inter Iudæos Saulem nominat, & iam ſegregandum ad miniſterium Eccleſiæ Gẽtium vltimò: inde Lucas commodè ad nomen Pauli tranſit: Saulus, inquit, qui & Paulus, ita tranſit à veteri nomine ad nouum, nec deinceps priori nomine ampliùs vtitur. Chryſoſtomi & Theophylacti *Chrysostomus.* eſt, diuinitus illi mutatum nomen, quemadmodũ Petro, qui dictus eſt

Cephas

Cephas à Domino Christo, & filii Zebedęi vocati sunt Boanerges, quibus ne esset inferior, vt ait Theophylactus, mutatum est illi nomen. Sed tamē in eo inferior est, quòd de illis extat scriptura, mutati scilicet nominis diuinitus: de Pauli verò nomine sic mutato nihil extat. Aliis placet, ob ius Romanæ ciuitatis sponte ab ipso mutatū. Nā Tarsus illius patria, iure Romanæ ciuitatis fuerat donata à M. Antonio. Itaque vt Hebræo nomine se fatebatur Iudæum simpliciter, sic Latino ciuem Romanum se profiteri voluit. Hi verè consentiunt cum Origene, qui illum facit binominem, quam sententiam etiā libenter amplector. Non solùm quia affinitas est inter ipsa vocabula aut quòd reges in veteri Testamento, aliíque multi binomines fuerunt

Aliorū sententia

Origenes.

ſed quòd videam hoc in primis Iudæis fuiſſe familiare, vt ſcilicet Gentiũ quoque nomina apud quas exularent, interdum aſſumerent. Nam Ioſeph certè apud Ægyptios Saphnat dicitur. Sic Daniel in Babylone Belſazar, Ananias Sedrac, Azarias Abdenago, Miſael Meſac appellantur, vt conſtet priora nomina eſſe Hebræa, Ioſeph, Daniel, &c. reliqua verò aſſumpta certa ratione ex lingua Gentium, cum quibus verſabantur. Sic omnino probabile eſt, Paulũ Iudæis fuiſſe Saulem, ſed quia idem in Romano imperio peregrinabatur, Romanum quoque aſſumpſiſſe nomen, quamcunque tandem ob cauſam, ſiue ad declarandum ius Romanæ ciuitatis, ſiue ob mutatam ſimul religionem, quam cupiebat Romanis etiã inferre populis, ſiue ob conuerſum

uersum Sergium Paulum, siue diuinitus, siue humanitus, siue ob ista omnia, dici facilè non potest: hoc tamen certum est, Deo sic ordinante factum esse, quod declarauit euẽtus, cùm magna dignitas, & gratia ministerio suo inde accesserit, adeò vt tãquam hominis Romani vbique videamus, non solùm nomẽ, sed & doctrinam fieri plausibilem, & hoc cõsilio indubiè in omnibus Epistolis suis, potius voluit doctrinam ornare Pauli nomine, quàm Saulis.

Patria illi splendida fuit: Tarsus scilicet ciuitas Ciliciæ, quod ipse Apostolus indicat Acto. 22. Tarsi, inquit, natus, nutritus in hac vrbe. Cęterùm ad Philipp. 3. capite, & in 2. Epistola ad Cor. 11. 22. etiam exprimit genus ex Israele, tribũ Beniamin, & similia. D. Hieronymus aliam indi-

Patria Pauli.

In ecclesiasticis

cepto

scriptoribus. cat patriã, quòd scil. oriundus fuerit ex Giscalis oppido, de tribu Beniamin, vnde cum parentibus, capto nimirũ Giscali à Romanis, in Tarsum Ciliciæ cõmigrarit. Verùm non congruunt hæc cum Pauli narratione, Act. 22.[3] vbi fatetur se natum Tarsi, neque est credibile, eum quicquam ibi tergiuersatum esse, præsertim inter Iudæos & hostes, qui hoc tanquam mendacium arripuissent: tamen fieri potuit, vt parẽtes illius, inde in Tarsum profugerint.

Praeceptores. Præceptorem habuit in lege Mosis insignem illum Gamalielem Pharisæum, ad cuius pedes enutritus est, Act. 22.[3] Quanta autem fuerit Gamalielis authoritas, constat ex 5.[34] cap. Actor. Hieronymus addit studiorum gratia Hierosolymam missum à parentibus, & hunc electum sibi præ-

cepto

ceptoré. In Christianismo præceptorem habuit ipsum Dei filium Act. 9. Hinc ad Gal. 1. cap. audacter profitetur se neque ab homine, neque per hominē doctū esse: itaque verè fuit θεοδίδακτος, vnde etiam est factum, vt non diu manserit cum Apostolis Hierosolymis, ne quid videretur ab homine didicisse, ad Gal. 2. Quæ omnia faciunt ad maiestatem scriptorum eius.

Vitæ genus per omnia castum & sanctissimum fuit, quemadmodum ipse fatetur, secundū exquisitissimā legis sectam, Act. 22. Porrò ad Philip. 3. & ad Galat. 1. magnas sibi vsurpat virtutes, diligentiam scilicet defendendi patrias traditiones, eruditionem in lege, zelum erga Deum, foelicitaté in discendo, qua etiam anteuerterit multos coęquales, sectæ ge-

nus præstantissimum. Erant enim Pharisæi reliquis tolerabiliores.

Ante cõuersionẽ Cum his virtutibus quoque inhæsit illi, nõ animi, sed sectæ potius morbus & vitium, quòd scilicet persecutus est Ecclesiam Dei, Acto. 9. & 22. Hanc viam, inquit, persecutus sum vsque ad mortem, vinciens & tradẽs in carceres, tã viros, quàm mulieres, ad Gal. primo, supra modum, inquit, persecutus sum Ecclesiam Dei. Sic priori ad Corinthios 15. non sum dignus qui vocer Apostolus, qui persecutus sum Ecclesiam Dei, Ad Philippenses 3. Quod zelũ attinet, persequens Ecclesiam Dei, priori ad Timotheum 1. cap. prius eram blasphemus, persecutor, & iniuriosus.

Mores in cõuersione. Verùm hunc animi morbum, & acerbitatem deposuit mox in conuersio-

ſione, in qua præter ſpẽ & illius meritum, omnia illi miraculoſo, & ſtupendo modo contingunt fœliciſſima, Act. 9. Ante conuerſionẽ lupum dixeris & vaſtatorem gregis dominici: in cõuerſione verò ouem, quæ ſe Deo libenter ſubmittat, adeò vt quærat, quid vis me facere Domine? Inde in priori ad Timotheum 1. 13. capite excuſat, quòd ignorans hæc omnia fecerit, & in priori ad Corinthios 15. 10. Gratia Dei ſum id quod ſum.

Poſt conuerſionem autem eſt doctor Gentium & Eccleſiæ propugnator, vt non malè de illo citetur illud Gen. 49. Beniamin lupus rapax manè diripit prædam, veſperi diuidit ſpolia: nunc enim nulli cedit, adeò vt nullis Apoſtolis velit eſſe inferior, 2. ad Cor. 11. ad Rom. 15. Nam præter nouas regenerationis virtu- *Mores poſt cõuerſionẽ*

tes,priores quoque auctæ & confirmatæ ſunt,qualis imprimis fuit eloquētia,& peritia non ſolū legis Moſaicæ,ſed Gentilium quoque literarum.Ac eloquentem fuiſſe,arguunt illius conciones, præſertim in Actis, qualis eſt illa 17. capite inter Philoſophos habita, & quas Hieroſolymis habuit,Actorum 22. & 23. & ſequentibus capitibus, in quibus apparet eum valuiſſe vi quadam perſuadendi,quam Græci δείνωσιν vocant: tales etiam ſunt eius diſputationes, qualis eſt Actorum 13. cōtra Magum illum, & capite nono contra Iudæos. Huc pertinent etiam epiſtolæ illius, eloquentiæ illius, & eruditionis locupletes teſtes. Ac Gentilium literarum fuiſſe peritum teſtimonia ſunt ad Titum primo capite, vbi Epimenidis citat verſum. Sic Actorum 17. Arati hemiſtichium citat, priori ad

Corinthios

Corinthios 15. 31. Menandri Iambum, quæ omnia arguunt Philosophię & politioris literaturæ fuisse peritum, imprimis verò Dialectices, quam non aliunde poterat discere, quàm ex humanioribus literis. De quibus ne sim prolixior, vide Hieronymũ ad Oratorem magnum Romanum & aduersus Ruffinum, & quæstione 10. ad Algasiam, & 11. ad Hedibiam. Eusebium libro tertio historiæ Ecclesiasticæ 24. capite, Origenem in Canticis, & Chrysostomum in octo Homiliis, quas de laudibus Pauli reliquit, Augustinum libro quarto de ciuitate Dei capite nono. & contra Cresconium Grammaticum, capite decimo quarto: Cyrillus in caput 16. Ioannis, receptaculum mysteriorum Dei vocat illum, vno fasce omnes illius laudes comprehendens.

De matrimonio Pauli. Expedienda etiã hic est quæstio de Apostoli matrimonio. Negat hoc Augustinus capite quarto de operius Monachorum, & γυνὴ illi mulier est, & non vxor. In eadem sententia est Epiphanius, ratio illius est, quòd Apostolus suo exemplo suadeat cælibatum. Idem multis placuisse doctoribus testatur Nicephorus lib. 2. cap. 44, & comparẽ ait σύζυγον posse intelligi viri nomen quem salutet. Sed multis contrà placet sentẽtia Clementis Alexãdrini, qui lib. 3, Stromáton testatur Paulum fuisse vxoratum, & locum ad Philippenses 4º rogo te σύζυγε γνήσιε compar germana, de vxore interpretatur, nec me fallit interim σύζυγον etiam significare consiliorum socium, & commilitonem & similia, verùm concedendum tamen est, hac voce etiam significari vxorem. In hac sententia

est

est Eusebius Ecclesiasticæ historiæ lib.3.cap.30, Vbi Petro & Philippo vxoratis etiã connumerat Paulum. Clementis sententiam refert etiam Nicephorus lib.2.cap.44. Cæterùm parùm refert, habuerit nec ne, satis est hoc illi licuisse, siquidẽ voluisset, aut instituto suo expediuisset: 1. ad Corinth.9. 5.

Res gestæ.

Porrò his tantis virtutibus, & conatibus, non defuit successus & docendi felicitas, nam à Hierosolymis & regionibus circuniacẽtibus vsque ad Illiricum omnia cõpleuit Euangelio Christi. Id quàm verè de se dicat, testantur peregrinationes, quas obiit in Pamphylia, Pisidia, Lycaonia, Syria, Cilicia, Mysia, Macedonia, Achaia, Galatia, Phrigia, Cypro & aliis Insulis, sicuti describuntur à Luca in Actis, à cap.13. vsque ad finẽ: & Eusebius easdem lib.3.cap.4.copi

osè explicat. Item Nicephorus lib.2. bonam partem cōsumit illius laboribus enumerandis à capite.19. vsque ad 38. vbi solùm Pauli res gestas persequitur, & Athanasius affirmat ad Dracontium, illum Hispanias quoque adiisse, quod factum est, post illius primã defensionem, cùm à Nerone esset dimissus: & 15. ad Rom. scribit se cogitare eò proficisci, & probabile est, si in Hispaniã, vt sperabat sit profectus, eũ simul adiisse varias & procul dissitas prouinciass.

Opera illius genuina. Sed nos veniamus ad eius opera, quæ quidem omnia conscripsit epistolari genere, ac sunt bipartita. Aut enim dedicauit integris ecclesiis, aut priuatis personis. Illius generis sunt, Ad Romanos, ad Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Collossenses, Thessalonicẽses, & ad Hebræos: huius vero generis sunt, ad Timotheum

theum, ad Titum & Philemonem. Præter illa ſcripta olim circũferebantur quædam Apocrypha illius nomine in Eccleſia, ſed falſò. Talis erat Epiſtola ad Laodicenſes, cuius meminit Hieronymus, & Auguſt. in 16. caput Ioãnis, citat Pauli Apocalypſin, cuius meminit etiam Nicephorus lib. 12. capite 34, quam dicebant repertam in Pauli domo paterna, Tarſi, in theca quadam marmorea, temporibus Theodoſij imperatoris, quod tamẽ falſum eſſe oſtendit, cuiuſdam ſenis confeſſione. Idem Nicephorus libro duodecimo, cap, 46, refert librũ quẽdam Actorum Pauli, & Clemẽs Alexãdrinus citat quædã Paulina alia, tamen non ſunt recepta. Sed reuertamur ad illius ſcripta germana: in his duplex ordo conſiderari debet, temporis ſcilicet & editionis. Temporis ordinem intelligo, quo ſunt

Apocrypha.

Ordo Paulinorum ſcriptorum.

ſcriptæ, editionis verò quo extāt in Canone. Scriptę ergo vt doctis placet, ſunt hoc ordine: omniũ primo ſcriptę ſũt duæ ad Theſſalonicenſes ante reliquas omnes, idque Athenis, quod teſtatur etiam ſubſcriptio. Hos inſtituerat feliciter in religione Chriſti, mox inde digreſſus in via ne deficerēt à noua religione, gemina epiſtola eos confirmauit. Tertia inde videtur ſcripta, prior ad Timotheũ, Laodiceæ, Phrygiæ Pacatianæ. Quarta ordine fuerit prior ad Corinthios ex Epheſo ſcripta, quò facit hiſtoria Actorum 19. Quinta illa ad Titum ex Nicopoli Macedonię. Sexta poſterior ad Corinth. ex Philippis Septima ad Romanos, quos nōdum viderat, ſed audierat ſolùm rectè inſtitutos: eos igitur abſens confirmat ex Corintho in itinere, cùm vltimo iam aſcenderet Hieroſolimam

vnde

vnde mox Romam captiuus pertractus est. Postea Romę in vinculis, & libera custodia, integro illo biennio sequentes scripsit, & hoc, vt apparet, ordine. Primùm illã ad Philippenses, quod testatur subscriptio. Et capite 1. meminit suorum vinculorum, tanquam rei nouę, vt vel hoc nomine haberi possit prima: & cap. 4. familiæ Cæsaris meminit. Deinde subsecuta est illa ad Colossenses. Tertiò illa ad Philemonem, sunt enim nomina salutantium hac eadem fermè, duæ in illa ad Colossenses, vt eodẽ tempore videantur scriptæ. Quarta illa ad Ephesios in qua est argumenti magna similitudo, cũ illa ad Colossen. Quinta posterior ad Timotheũ, in qua conqueritur, se desertũ ab omnibus feré, adeò vt Demas quoque, qui dum scriberetur illa ad Colossenses, ad huc fuerit

constans

constans, illũ quoque deseruerit, vt appareat hinc illam esse posteriorẽ. Sextò illa ad Galatas, in qua seuerissimè inuehitur in cæremonias, adeò vt non dubitet dicere: Si vel Angelus aliud Euangelium anunciauerit vobis, præter id, quod prædicauimus vobis, anathema sit, & capite 5. simpliciter pronũciat de circuncisione: Si circuncidamini Christus nihil vobis proderit, & capite. 6. quasi ad metam properans, ait, ne quis deinceps mihi molestus sit, ego enim modò immolor. Vltima habetur illa ad Hebræos, quę ex Italia scripta est, vt testatur subscriptio, & sunt salutationes Italorum nomine, de qua suo loco copiosiùs diximus. Hic ordo (vt dixi) placet eruditis, ex veteribus habes Hieronymum, in Epistolam ad Philemonem Nicephorum lib. 2. cap. 34. ex recentioribus Bucerum

Bucerum in προλεγομένοις in Epistolam ad Romanos, & in eandem D. Hyperium, cuius tamen nondum extant commentaria.

Alter ordo editionis est, qui diligenter à studiosis debet edisci, vt constet, quo ordine se sequatur epistolæ, Item quot capitibus singulæ constent. Prima igitur est illa ad Romanos, capitum 16. Deinde duæ ad Corinthios, prior 16. posterior verò 13. capitũ. Sequitur ad Galatas capitum 6. Ad Ephesios itidem 6. Ad Philippenses 4. Ad Colossenses 4. Ad Thessalonicenses duę, prior 5. posterior 3. capitum. Ad Timotheum duæ. Prior 6. posterior, 4. Vna ad Titũ trium capitum. Ad Philemonem vnius capitis. Ad Hebræos 13, capitũ. *Ordo editionis.*

Hoc ordine prima est Epistola ad Romanos: id cur sic factum quæsitæ sunt rationes. Respondemus primũ *Ad Ro. cur prima.*

id curi-

id curiosè fieri. Nam quid si alia prior esset, quid responderent liberum fuit Ecclesiæ iudicium ex cuius consensu hunc ordinem habemus, nec dubitamus quin Spiritus sanctus hoc ita disposuerit, cuius iudicium & voluntas nobis debet esse regula: atque hęc apud nos vera, & indubitata debet esse ratio. Huic addimus probabiles. Primùm quod in hac Epist. tractetur primaria quæstio, de salute nimirùm hominis. eáque copiosiùs & dilucidiùs explicatur, quã in aliis, hominem non priuato operum respectu, sed fide in Christum iustificari, quæ equidem quæstio, quanuis in aliis quoque tractetur, tamen non ita diffusè, & tanta argumentorum copia. Deinde scribitur ad sedẽ Imperii & quasi ad arcem mundi, qualis erat Roma, gentium nimirũ domina quo nomine digna visa est, vt

primum teneret locũ. Præterea prolixitate reliquas superat, si non capitum numero: tamen argumenti varietate, & stili grauitate, & quæstionum difficultate, quales sunt de abrogatione legis, de gentium vocatione, de Iudæorum reiectione, de naturæ humanæ cæcitate, de gentiũ sceleribus, Iudæorũ pertinacia, de renati hominis operibus, & similia.

Mors Pauli. De morte Apost. constans est ferè totius historiæ narratio, adeóque consensus perpetuus, eum Romæ, sub Nerone, gladio esse percussum. Annus fuit 37. à passione Domini, imperii verò Neronis 14. vt cribunt, Euseb, Hieronimus, Augustin. Niceph. & alii: in qua narratione, tria in primis admiratione digna occurrũt. Primùm quod omnes cõsentienter scribunt Paulum eadem die cum Petro esse pa ssum. id affirmat Hieronymus

ronymus in Ecclesiasticis scriptoribus. Eusebius lib.3.cap.25. Nicephorus lib.2.cap.36. & 37. Augustinus libro de consensu Euangelistarũ cap. 10. Hinc factum est vt multis probabile fuerit visum, Petrum Romã venisse, & ibi secundum hosce passum esse. Alterum quod solus refert Nicephorus, Paulum, scilicet, ante mortẽ cum Nerone esse colloquutũ, eique tandem promisisse suum reditum, tertio à morte die, idque ita contigisse, adeó vt viderit expressã Pauli vmbram Nero, eãque voluerit apprehendere sed non potuisse. Id si factũ est, indubiè ad terrorẽ Tyrãni contigit, & ad confirmationem innocentiæ Pauli, adeoque ad defensionem veræ religionis. Tertium huic non dissimile est, quod refert Augustinus in oratione quam habuit de sanctis, Paulo et Petro, quòd

ſcilicet in decollatione Apoſtoli Pauli , pro ſanguine lac eruperit, quod faciebat ad innocentiam eius, ſi ita contigit. Cæterùm vt multa ad rerum miracula conficta ſunt antiquitus, fortaſſe hæc quoque in illo cenſu haberi poſſunt. Sepultus eſt Romæ in via Oſtienſi, iiſdem, autoribus, quos ſuprà retulimus, quod confirmat etiã hodie publicus conſenſus. *Sepultura.*

QVIBVS SIT SCRIPTA Epiſtola.

Scribitur Romanis, id eſt fidelibus, qui tũ temporis Romæ ex Iudæis & Gentibus Chriſtum erant amplexi. Non enim cogitare debes, ſenatum, populum , & Imperatorem hîc contineri, qui ſerò tandem ad Chriſtum conuerſi ſunt, ſed miſellã quandam turbam, & bona parte conſtantem ex exulibus & peregrinis, de *Locus. A quibus ſit dedicata Epiſtola.*

quibus Apost. audierat, eos bene, & feliciter esse institutos, nec dũ viderat, sed tamẽ ad eos proficisci decreuerat hinc in Hispaniam iturus. Itaque prius & confirmat in fide, & sibi reddit familiares. Porrò per quos his Romanis prædicatum fuerit Euangelium, hîc etiam quæri solet, cùm certũ sit Apostolum & doctorem gentiũ Romam nondum peruenisse. Quidam respondent hoc à Petro factũ esse, qui 2. anno Claudii Imperatoris venerit Romã, & nonnullos ibi conuerterit. Sed mallẽ hoc tribuere Andronico & Iuniæ. Nam infra 16. cap. inter Apostolos numerantur, & quidẽ primarios, qui ante Paulum in Christo fuerint. Romę autem erant eo tempore, cùm scriberetur Epistola, quod ibidem cõstat, ideo probabile est, illos ibi docuisse. Quòd si ne hi quidem hoc fecerunt

Chrysostomus.

parum

parum intereſt: poſuerint ne alii fũdamenta prima, quibus hi ſuperſtruxerint, quod ædificium Apoſtolus Paulus poſtea confirmauit. Cæterùm nobis etiam ſcripta eſt, ſumus enim Imperii Romani reliquię, & ex gentibus quoque conuerſi. Eleganter inquit de Roma Ouidius. *Ouidius.*

Gentibus eſt aliis, tellus data limite certo:
Romanæ ſpatium eſt vrbis & orbis idem.

Quod ſi ita eſt, ad nos certè pertinebit hæc Epiſtola, & ad totum orbẽ. Vbique enim ſũt diſſipati Romani imperii quaſi membra. Et quanquã nec ſedem, nec fidem Romanam, qualis hodie eſt agnoſcamus: tamen hanc doctrinam ſequimur, quam Apoſtolus Romanæ eccleſiæ ſuo ſeculo commendabat, fidem ſcilicet in Chriſtũ, cuius vnius merito, nos profitemur iuſtificari, ſecus quam hodie, qui ſedem Petri occupant, &,

Romanæ Ecclesiæ tenent guberna-
cula.

OCCASIO.

Occasio Epistolæ.

Hactenus de personis, nunc rerum locos explicemus, inter quos ordine primus est, qua occasione, scripta putetur epistola. Oblata occasio multis videtur & rectè, forte tamen non eadem de causa: nonnulli enim dicunt propter falsos doctores subingressos, qui synceritatẽ doctrinę corrumpebant, scriptam esse. Asserebãt isti sine legis obseruantia, & circumcisionis vsu, Christum nihil prodesse fidelibus. Sed in tota Epistola eius non fit mentio, tantum cap. 16, hortatur vt caueant dissidiorũ autores, magis scilicet metuens corruptelam apud eos, morum, quàm doctrinæ. Deinde 1. capite doctrinæ puritatẽ illis tribuit, ideo illa occasione non videtur scripta, sed potius hac, quod

fides

fides ipsorum ab omnibus laudaretur, ideo in eadē eos confirmare voluit: huc facit quod ibidem cupit illos videre, vt illis impertiatur aliquod donum spirituale, & mutuam inde accipiant consolationē. Deinde est etiam hoc modo oblata, quòd ab aliis Ecclesiis rogatus videtur id facere, quò faciunt salutationes vltimo capite tam anxiæ, Ecclesiarū gētium, quæ Romanos salutant, quo satis indicat Asiaticas Ecclesias, & Europeas per Græciam singulari amore Romanos esse prosequutos, neque alia de causa, nisi propter similitudinē fidei, vnde stimuli ad scribendum orti sunt. Porrò videri potest etiam quæsita occasio, nam certū est, Spiritum sanctum in Apostolo hæc agere, qui respexit ad illud, vt extaret aliquod scriptum perfectius & absolutius, de præcipuis articulis

Quæsita occasio.

religionis Christianæ, ex quo sciri posset, quod posteritati sentiendũ esset de tota religione.
Tale opus ad Imperii sedẽ consultò misit. Hoc fit probabile, si hanc Epistolam cum reliquis conferas. Nã certum est, in hac, causam iustificationis copiosiùs, & diligentiùs tractari, in reliquis non pari diligentia & copia, quamuis perstringatur.

ARGVMENTVM Epistolæ.

Romanos quos nondum viderat Apostolus, confirmat in vera Christi cognitione, docens quid sentiendum sit de præcipuis nostræ religionis articulis, de operum dignitate apud Deum, tum quæ præstabãt gentes, ex morali disciplina, tũ quæ præstabãt Iudæi secundũ legem Mosis. Item quid sentiendum sit de peccato, & contrà, de fide, gratia, de veris causis

causis iustificationis, de vocatione gentium, de reiectione Iudæorum, de renati hominis operibus, aliisque locis. Tandem pia, & copiosa salutatione concludit Epistolam.

PROPOSITIO generalis.

Quæstio principalis est de Iustificatione, quam Iudæi tribuebant operibus legis Mosaicæ, contrà Gentes virtutibus moralibus, & naturali cognitioni, quam habebant de Deo, aliisque rebus: & ita quod Christo debebatur, totum ascribebatur operibus. Cõstituatur igitur propositio hoc pacto. Homines iustificãtur nõ aliqua dignitate, aut respectu operũ suorũ, sed merito Christi gratuito, fide scilicet apprehendere misericordiam Dei.

CONFIRMATIO

Confirmatio propositionis depẽdet

ex vi syllogismi disiunctiui hoc pacto. Aut iustificamur operibus: aut fide. Totum connexum, vt vocant, Συνημμένον verum est, quia constat ex duabus propositionibus disiunctiuis immediatis, in quibus non potest dari tertium. Assumptum verò remotionem habet primæ partis totius cōnexi, & in hac latet controuersia, ideò huc incumbit tota probatio, inde nascitur specialis propositió negatiua, Homines non iustificantur operibus probatio est, quia Ethnici, qui præstantē de Deo habuerunt cognitionem, & moraliter videbantur iustissimè viuere, tamen nō possunt iustificari operibus corā Deo, ita nec Iudęi ex operibus legis, licet diuinitus data sit, coram Deo iustificari possunt. Argumentum, valet ex plena diuisione, in qua remotis partibus omnibus, remoue-

tur

tur totum, plena autem diuisio est, qua distinguit homines in Græcos & Iudæos, & vtrique operibus iustificari non possunt, sequitur ergo hinc principalis conclusio primi syllogismi: ergo fide iustificantur, quæ erat altera propositio totius cõnexi, & quidem vera. Porro à tota propositione disiuncta, ad alteram eius partem remota prius altera, valet argumentum.

STATVS.

Statum constituo definitiuum, quia definit Apostolus in quanam re consistat vera iustificationis causa, quæ valeat coram Deo. Definitiua quoque hîc sũt alia, vt quid sit Euangeliũ, lex, gratia, peccatum, mors. Itẽ quæ sint opera renati hominis, de quibus omnibus, quia Apostolus verã & indubitatã pronũtiat sententiã,

meritò definitiua constitutio haberi debet.

GENVS.

Genus multiplex est, sed principale & prædominans omnino est Demonstratiuum. Nam summa certitudo profertur de articulo iustificationis, quæ aliunde non constat, quã apodixi, sed meminisse oportet hãc esse γραφικὴν hoc est, quæ nititur oraculis diuinis: non est λογικὴ quam relinquimus Philosophiæ, & conficitur certa quadam rerum Analogia. Accessoria deinde genera hîc considerentur, quæ illustrant principale, & illud confirmãt, aut certa saltem ratione ei inseruiũt: quale est Systaticum, quo se Romanis cõmendat, Romanos itidẽ cõmendat Deo, & in fine sanctos ipsis tanquã fratribus itidẽ commẽdat. Gratulatoriũ, quo illorũ fidẽ laudat, & ipsis ob syncerita

tem

tem fidei cõgratulatur. Ἐπιτιμητικὸν, quo inuehitur in scelera: primùm in genere mortaliũ omniũ: deinde speciatim in flagitia, Ethnicorũ, & supercíliũ Iudaicũ: in sũma omnes de gradu dignitatis deiicit, ac Christo pauidos adducit, in quo omnes cõiungit. Paræneticũ quo hortatur ad bonorum operũ studium, & commendat renatos à nouis virtutibus Spiritus sancti, Εὐκτικὸν quo facit vota pro piis, & indesinenter orat, vt in primo capite. Item quo optat ad Romanos venire, sic in fine votum repetitur, & similia.

PARTES EPISTOLÆ

Partitio aut sumitur à præceptis artis, aut à subiecta materia quæ explicatur. Præcepta artis has nobis proponunt partes. Titulum, qui constat persona scribentis, & eius ad quem scribitur, illis additur su-

auis comprecatio, & ſolet in ſacris literis inſeri ſæpe prolixior aliqua tractatio de vocatione, aut de genere doctrinæ, quod in primis ſeruauit Apoſtolus Paulus. Deinde eſt exordiũ. Tertiò propoſitio. Quartò Narratio, aut confirmatio, vel confutatio, aut ſimile. Quintò ſalutationes, ſeu Epilogus aliquis. Sextò demum ſubſcriptio de loco, internuntio aut perſona ſcribente aliquid continens: ſic quidem artis præcepta conſtituunt. Materia verò ſæpe hæc variat, vt in hac epiſtola, ſi ad materiá reſpicias illas habebis partes. Prima eſt, Homines non iuſtificari operibus, quæ tota conſtat remotione. Altera, Homines iuſtificari fide, tota hæc conſtat aſſeueratione. Tertia, meritum Chriſti pertinere etiam ad Gentes, a quo Iudęi exciderint bona parte, proprio quodá vitio. Quarta, rena-

ta, renatos homines professionem suam ornare omni bonorum operum studio. Quinta demum, sequuntur salutationes & commendationes vice Epilogi. Sed connectamus ordine partes omnes hoc modo. Primùm Epistola habet iustam epigraphen, hoc est, titulum. Secundo loco habet exordium Eucharisticum, cui additũ est votum. Tercío loco est Protasis: Homines secundum doctrinam Euangelii iustificandos esse, non secundum doctrinam hominum, hanc sumo ex primo capite, vers. 16, & 17. Quarta pars est Anasceue, hoc est confutatio, homines non iustificari operibus. Principiũ confutationis cõstitue, à vers. 18. cap. 1. vsque ad ver.. 21 capitis tertii. Quinta pars est Catasceue, cõfirmatio, cuius propositio est affirmatiua nos iustificari fide in

Christum. principium illius à vers. 21. capitis tertii, continuatur per cõsequentia capita, vsque ad principiũ 9. capitis. Sexta igitur pars est ἐπιδήλωσις hoc est, declaratio totius disputationis. Nam cùm docuisset Gentes non iustificari operibus moralibus, & tamen iustificandos, operæ pretium fuit explicare locum de vocatione gẽtium. Sic cum docuisset Iudæos non iustificari operibus legis, ipsis datis necessariũ erat ostendere cur reiecti sint Iudæi. Hoc igitur argumentum ad lucem disputationis tractat 9,10,& 11. capitibus. Septima pars igitur est deinceps, Paræneses scilicet ad opera nati hominis: ostendit enim quid pii debeãt, tũ proximo tũ magistratui, tũ domesticis. Itaq; hic concurrũt loci Ethici, Politici, & œconomici & quædã adiaphora, tractãtur hæc cap.12,13,14, & principio 15.

15. Octaua pars constituatur cap. 15. ver. 15. estque Epilogus, in quo agit de rebus priuatis, vt quod se excusat de prolixitate: Itē quod cōmēdat fratres, addit præterea amicas, & copiosas salutationes, resalutationes, atque illa vsque ad finē explicātur. Vltimo loco est Hypographe, subscriptio, vbi admonemur de loco scriptæ Epistolę & de internūtio, quāuis ista nō à Paulo, sed ab aliis addita videātur.

DE VTILITATE scripti.

Loci primarii, qui ad vtilitatem declarandam faciunt præsentis Epistolæ.

Meritò haberi potest compendium nostræ religionis hæc Epistola, quādoquidem præcipuos locos & maximè necessarios perspicuè explicat, de quorum numero aliquos perstringemus. Et statim quidem in titulo locus illustris est de vocatio-

ne Apoſtolica: item de antiquitate & dignitate Euangelii. Sic duo ſunt illuſtres loci, de vtraque Chriſti natura: humana, quam duxerit ſecundum carnem ex ſemine Dauid: & diuina, ſecundum quam ſit declaratus filius Dei potẽter ex reſurrectione. Deinde in Exordio locus illuſtris eſt de ſynceritate fidei eccleſiæ Romanæ, deinde locus eſt etiam de cura Apoſtolica pro eccleſia Romana. non in defendendis feudis & priuilegiis, ſed pro ſynceritate fidei. In propoſitione loci ſunt, primùm illuſtris definitio Euangelii, deinde de iuſtitia Dei, item de fide. In confutatione occurrunt loci, de ira Dei contra peccatum, de gentium corruptela, de cognitione Dei illuſtri apud gentes, de Iudæorum induratione, de legis trãſgreſſione, & eiuſdem impotẽtia, de circumciſionis natura,

de

de præputii conditione, de Iudæorum propriis quibusdam sceleribus, de æquata sorte omnium mortaliũ. Transeamus ad confirmationẽ vbi loci occurrũt. Primũ de iustitia, quæ est ex fide, & de iustitia, quæ est ex operibus, de gratia, de prædestinatione, de promissionum certitudine, & quod sint vniuersales, de dilectione Dei, de origine peccati, & vnde sit illius cognitio, de vsu legis, de electione diuina, de renatorũ moribus & natura. Sequitur disputationis declaratio cap. 9. vbi loci occurrunt insignes. Primùm de veteris populi prærogatiua, quibus mox subiicit locũ de Vocatione gẽtium, item de Iudæorum reiectione, de iure electionis diuinæ, de prædestinatione & eius viribus. Postea capite .10. ocus copiosius tractatur de reiectione Israëlis, de gratia Dei, quæ vera

causa est electionis, & iustificationis. In Paræinesi loci sunt admodum multi, ac commodè distinguntur in tres ordines. Sunt enim Ethici loci quales propriè considerat Euangelium, de concordia, de consensu in articulis fidei, de fraterna dilectione, de diuersitate donorum, & legitimo illorum vsu, de diligendis etiam inimicis. Deinde Politici sunt, vbi tractatur ius Magistratuũ, de cõditione subditorũ, de rerum proprietate de publicis oneribus, de tributo, censu & huiusmodi, de honorandis præsidibus. Addũtur istis capite 14. noui qui ad Ethicos pertinent, vt de tolerandis infirmis. Sequuntur deinde Adiaphora, vt quid sentiendum sit de cibo, potu, diebus festis, & similibus locis. Capite 15. & de arrogantia fidelium, qua solent contemni debiliores, qui locus iterum
ad

ad Ethicos pertinet. Poſtea ſequitur Epilogus, qui continet elegantes locos, vt locus ciuilitatis, excuſans audaciam & prolixitatem ſcripti. Deinde locus dignus eſt ſcitu, de propagata doctrina Euangelij, temporibus Apoſtoli. Item locus de peregrinationibus eius. Item de contributione fidelium in vſus pauperum. Item locus de interceſſione ſanctorum, ſed qua viui pro viuis intercedunt. Præterea elegans eſt locus de more ſalutandi recepto inter pios. Item commendandi abſentibus pios fratres, & ita concluditur Epiſtola.

DISPOSITIO IN PRIOREM Epistolam ad Corinthios.

Qui fuerint Corinthii.

COrinthus dicta fuit à Corintho Marathonis filio, qui vel conditor vel illustrator fuit vrbis. Olim vrbium Gręciæ fuit clarissima & florentissima, vnde Cicero non dubitauit lumen totius Gręciæ appellare. Idem in Oratione contra Rullū elegantissimè describit ipsius situm, his verbis. Corinthi vix vestigium relictum est. Erat enim posita in angustiis, atque faucibus Gręciæ, sic vt terra claustra locorum teneret, & duo maria maximè nauigationi diuersa

In Oratione pro Lege Manilia.

uersa penè coniungeret, cum pertenui discrimine separarentur. &c. Quibus verbis indicat Ægæum mare ab oriente alluere, quo ex Asia ad nauigantes, Cenchræo portu excipiebantur. Ionium verò esse ab occasu, quo aduecti Lechæo portu recipiebantur. Hinc est etiā quod Horatius cecinit.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenē, *Horatius.*
At Ephebesū, bimaris ve Corinthi
Mœnia.

Hæc loci oportunitas, & opes, & singularem morum corruptelā, in hāc vrbem conuexerat. Nam ex tota Asia & Europa, quasi ad communē emporiū istuc confluebant mercatores. Et erat illic Veneris templum celeberrimum, in quo mulieres prostitutæ quæstum corpore faciebant, vnde nobiles illæ meretrices, quas commemorat Athenæus, & passim prophani authores, fermè omnes

Corinthiæ fuerunt. Et extãt adhuc prouerbia apud authores, quibus mores illorũ taxantur, vt Corinthiaci, & nõ cuiuis licet adire Corinthũ. Ex hac morum corruptela indubiè fluxit, vt iusto Dei iudicio postea sit deleta, quod primũ legimus in historiis factũ à Romanis, per L. Mũmiũ, ante bellum Numantinũ. Occasio euertẽdi vrbem illa erat, quòd legatos populi Romani stercoribus fœdasset. Postea tamen restituta est per Cæsarẽ, & iterũ nobilis reddita, studiis humanitatis, opibus, ac morum corruptela. Qui plura desiderat, videat Strabonẽ lib 8. Liuiũ lib. 5. decadis quintæ. Pliniũ lib. 34. cap. 2, & 3 Pausaniã lib. 2. & nominatim septimo, qui Corinthiaca inscribitur. Florum lib. 2, cap. 16. Iustinum historicum libro 34. Eutropium lib. 4, & similes scriptores.

OCCAS

OCCASIO EPISTOLÆ.

In hac corruptela morum, dominus quoque Ecclesiã habuit, cuius origo extat in Act. cap. 18, ex quo loco, & primo cap. huius Epistolæ, & itidẽ 7. colligi potest occasio, quòd nimirũ graui de causa permotus Apostolus hãc scripserit Epistolã. Occasio igitur fuit oblata hoc modo. Docuerat ibi Apostolus anno integro, & sex mensibus, ídque magno fructu & successu: diuinitus enim iussus hoc fecerat, & simul illi significauerat dominus: quòd ibi multũ haberet populũ. Cùm verò hinc in Syriã enauigaret Apost. ingenia quędã leuia cœperũt omnia in illa ecclesia perturbare. Quidã enim reprehẽdebant simplicitatem doctrinæ Paulinæ, imbuti scilicet philosophica quadam persuasione sapientiæ & eloquentiæ humanæ. Alii in moribus

quiduis ſibi licere præſumebant, adeò vt ſcortatores, ebrios, litigioſos, in ceſtu pollutos illa ecclesia ferret. Alii damnabant matrimonium, alii negabant reſurrectionē corporum, alii aliis ſuperſtitionibus Iudaicis, vel gentili prophanatione, & doctrinā & morum innocentiam perturbabant. His malis perturbati ſaniores, ſcribunt ad Apoſtolum, & cupiunt edoceri de multis. Qua occaſione arrepta Apoſtolus non ſolùm ad quæſtiones ꝓpoſitas reſpōdet, ſed ad alia etiam multa, quæ ipſis minus vitioſa videbantur, adeóque indigna quæſtione. Ex quo ſatis conſtat, occaſionem illi fuiſſe oblatam, cùm ad illorum literas primitus ei reſpondendum eſſet, & tamen in his non omnia vitioſa mouiſſent, ipſe Apoſtolus reliqua patefacit, adeôque ab his ducit exordium, hortatúrque vt in

vera doctrina, & vitæ innocentia persistant, ac his malis occurrit, ne maior illius Ecclesiæ ruina, illi omnē fructum istic deleret. Priorē partem Epistolæ habuit ex publico rumore, & nominatim ex domesticis Chloę: Posteriorem verò ex ipsis literis Corinthiorum.

GENVS SCRIPTI.

Cùm tota Epistola agat de restituenda concordia publica in doctrina sana, & innocentia morum, rectè referetur Epistola ad Epanorthosin. Corrigit verò & mores, & doctrinā, idque tam in doctoribus, quàm in auditoribus. In illis reprehendit supercilium philosophicum, in auditoribus verò persuasionem vanā, quasi sapientia & eloquentia necessaria foret Euangelio. Hinc alii alios admirabantur, & simpliciores contemnebant, quæ omnia sunt ἐπανορθωτικά.

Itaque hoc prædominās cōſtituimus genus. Huic poſtea accedūt, quæ ſuperius illuſtrāt, & tanquā organa tractationis fiūt: vt Didacticū, quo indicat quid credendū ſit, & quomodo viuendū renatis hominibus. Ψεκτικὸν reprehenſorium, quo taxat illorum ignauiā, in ferēdis ſceleribus, omníque morū corruptela. Paræneticū, quo hortatur ad bonos mores intermiſſos, ad ſtudiū Eleemoſynæ, ad cōtributionem pro pauperibus, & in genere ad innocentiam vitæ.

PROPOSITIO generalis.

Habēt ſingulæ quęſtiones, quammultæ ſunt, ſuas ſpeciales propoſitiones, vt eſt videre cap. 7, & conſequētibus: tamē tota Epiſtola reuocanda eſt ad vnā generalē ſententiam, tanquā ad ſcopū. Sit igitur hæc propoſitio. Corinthiis omnibus modis curandū

randũ eſt, vt ſublatis diſſidiis, & morũ corruptela, conſenſũ in doctrina ſibi tradita, & in moribus innocẽtiã colãt omni virtutũ genere, vt imago Dei in ipſis reſtauretur & perficiatur ad aduentũ D. noſt. Ieſu Chriſti.

PARTES.

Diuiſio variè inſtituitur in hac epiſtola: quidã bimẽbrẽ inſtituunt, nõnulli trimembrẽ, vtriq; à materia eã ita diſtingũt. Qui bimẽbrẽ faciũt hoc pacto procedũt. Prima parte corrigit diſſidia, orta ex ęmulatione doctorũ quæ omnia ſpectãt ſanę doctrinę reſtitutionẽ. Secũda verò parte emẽdat mores, vt ſine offẽdiculo fratrũ, quã innocẽtiſſimè ãbulẽt. Qui verò trimẽbrẽ faciũt, ita diſtingũt. Prima parte corrigi in eis vitia, quæ illi minus grauia iudicabãt, & ob id eius iudicium de his nõ requiſierãt, cum interim eſſent grauiſſima, qualia ſũt,

ſtudium ſectarum, diſſidia publica in dogmatibus religionis, ambitio eloquentiæ, & ſapientiæ perſuaſio, quaſi ſine his non rectè poſſit doceri Euangeliũ. Item ſcortatio, inceſtus, litigandi mos corã infidelibus. Hæc & ſimilia intacta reliquerant quaſi leuia. Secunda parte demum reſpõdet ad illorum quæſtiones ab ipſis propoſitas, quales erãt multæ de matrimonio, de ciborũ delectu, de Idolis, & Idolotycis, de cœtibus eccleſiaſticis, & an liceret mulieribus docere, & mouere quæſtiones in cœtibus publicis. De cœna domini, & de eius vero vſu, de donis ſpiritualibus, & illorum præſtantia, nominatim de prophetico munere, de reſurrectione mortuorum, de qua multi dubitabant. Hæc omnia pertinent ad Epiſtolam Corinthiorum. Tertia parte cap. 16, agit de priuatis rebus quaſi

per appendicem, quæ ex animo Apostoli fluebant, publico aut priuato bono. Publicum erat, vt quod iubet colligere collectam. Priuatum videtur quod illis promittit suum aduentum. Sic priuatum est, quod addit de Timotheo, Fortunato, Achaiaco, Stephana, & aliis.

Addamus his tertiá partitionem, quæ plenior sit, & superiores cõplectatur. Sic igitur cohærent partes.

Primo more suo præfigit Epistolæ pigraphen, quæ facit ad beneuolẽtiá, & hác à sua & Sosthenis persona item auditorum laudibus religiosè captat. Locus primarius est de ordinaria vocatione. Secũda pars est Exordium, quod etiam ducit ab ipsis Corinthiorum laudibus. Nam commendat eos ab his donis, quibus ipsi in primis abutebãtur, significás quo modo opotert ipsos viuere. Dein-

de simul indicat spem emēdationis nondū penitus esse amissam. Locus primarius est Exordii,de vera Ecclesia,cuius debent extare certæ notæ, per quas deprehēdi possit,interim in hoc mundo tamē non caret suis næuis. Tertia pars est perpetua correctio eorū vitiorū,quæ ipsi videbātur parū curare, ideóque in suo scripto hæc prætererāt. Ad Apostolū tamē peruenerāt rumore publico,& relatione domesticorū Chloæ. Principium correctionis sumitur ver.10.cap. 1.ac cōtinuatur vsque ad principium cap.7. Loci insignes hic plurimi sūt, in quibus perstringendis ordine vtemur capitum.

In primo igitur capite locus est de sectis & litibus,quæ ex altercationibus nomine doctorū instituebātur. Apostoli verò mens est homines Christum professos non oportere

scindi

ſcindi doctorũ nomine, & hac occaſione aperit cauſas ſectarũ, & de illis tollẽdis ſedulò agit. Præcipua verò cauſa erat carnalis opinio eloquẽtiæ & ſapientiæ, vnde agit de eloquẽtia miniſtri, nimirũ illã non vſque adeò eſſe neceſſariam, ſed in illo potius requiri donũ Dei, & Spiritum ſanctũ, qui etiam in abiectis coram mundo efficaciter agat. Vnde locus naſcitur de ſimplicitate doctrinæ Chriſtianę. Item de diſcrimine philoſophiæ & Euangelii, de ſectarum notis, &c.

Capite 2. ſuo exemplo diffuſius aperit diſcrimen ſapientiæ Philoſophicæ & Euangelicæ. Concurrunt loci de ſublimitate donorum ſpiritualium, damnari ſapientiam mundi coram domino, iudicium de rebus omnibus penes Spiritum Sanctum eſſe abſolutum, &c.

Cap.3. omnia ad personã Corinthiorum applicat, ne scilicet ipsi scindantur propter doctores. Loci sunt de sapientia ministri in docendis rudibus, de ministrorum dignitate, de fundamẽto Euangelicæ doctrinæ & dignitate piorum.

Cap.4. præoccupatione suum tuetur officium, & in genere contendit ministros Christi esse audiẽdos, vt vt sint coram mundo abiecti, in cæteris autem non veretur Corinthiorum subire censuram. Loci concurrunt præter iam dictos, de temeritate iudiciorum, de Apostoli laboribus, & contemptu.

Capite 5. videtur aliud ingredi argumentum. Hactenus enim contra dissidia egit quæ orta erãt ex contentione doctorum. Nunc verò corrigit Corinthiorum nimiam lenitatem, qua vtebantur in ferendis flagi

tiosis

tiosis hominibus: exemplum illustre producit de quodam polluto incestu, quem iubet tradi Satanæ, mox alia quædam vitia corrigit, quæ ipsi vt superiora, parum seueriter coërcebant. Loci illustres sunt de incestu, & eius ordinaria pœna, de excommunicatione, de disciplina Ecclesiastica, de scortatione, ebrietate, & similes: istis addatur locus de moribus sanctorum.

Sequitur cap. 6, vbi alium ingreditur locum. Nam hîc corrigit litigandi morem, coram Ethnicis iudicibus, ac docet piis aut cedendũ esse de suo iure ne litigent, aut eligendos iudices ex fidelibus qui litigantes dirimãt. æquissima erat ista correctio, cùm enim litigãdi morem non posset simpliciter & in vniuersum prohibere: tamen ex circunstantiis eum damnat, quo mõstrat quomodo hic

mos possit fieri Christianus. Loci sunt de Christiana libertate moderanda, de ferenda iniuria, de litibus forensibus: quatenus scilicet liceat Christiano homini ius suum persequi, de crapula, scortatione, aliísque vitiis eliminandis, de dignitate piorũ & similes. Hactenus correcta sunt ea vitia, quæ Corinthii in Epistola præterierant.

Nunc cap. 7. constituatur 4. pars, quæ contineat responsionẽ, qua ad ipsorum epistolam satisfacit. Porrò in suo scripto mouerãt diuersas quæstiones, quæ in Ecclesia erãt agitatę, non tamen planè compositæ: ideò ad iudicium Apostoli confugiunt, ac probabile est Apostolũ quæstionum ordinem ab ipsis propositum sequi. Prima igitur quæstio est de cõiugio. Nascũtur ibi loci de matrimonio, de officio mariti in vxorem, & contrà

contra de officio vxoris erga maritũ. Inde ſequitur locus de cœlibatu, locus de ſecundis nuptiis, de diuortio, de impari matrimonio, de virginitate, de vocatione tuenda in qualibet conditione.

Cap. 8. tranſit ad alias quæſtiones, vbi in genere diſputat de ciborum delectu, ac videtur Corinthii quæſiuiſſe nominatim de Idolothytis, hoc eſt, de iis quæ erant idolis immolata quid de his iudicandum eſſet. Nam pii aliquando ad Ethnicorum conuiuia vocabãtur, vbi carnes idolis cõſecratas edebant interdũ ignari, vel etiam admoniti idem faciebant cum ſcandalo, aut abſtinebant cum ſcandalo. Reſpondet ergo Apoſtolus, cibos quidem omnes eſſe licitos: attamẽ omnem eorũ vſum limitandũ eſſe ad charitatis regulam. Loci hîc emergunt, de Idolis, & eorum vani-

tate, contrà de vnitate veri Dei, de conſcientia,& eius viribus, de infirmitate fratrum,de libertate Chriſtiana coërcenda.

Cap.9.ſuo exemplo docet in rebus mediis de iure ſuo ſæpe piis eſſe cedendum. Hoc enim fecit Apoſtolus in iure coniugii, cum poſſet vxorem ſecum circunducere more aliorum, hoc tamen non fecit. Sic in ſtipēdio accipiendo, non eſt vſus eadem libertate,qua vti poterat. Sic in carnium eſu reſpiciendum eſt quid ferat fratrū imbecillitas, non quid dictet libertas, & Apoſtolus ſanè in commodum fratrū libenter ſemper vult abſtinere.Locus primarius eſt, ἀδιάφορα omnia ad ædificationem eſſe accommodanda.Item miniſtris licere viuere ex Euangelio,quo tamen iure non ſemper ſit vtendum.

Cap.10, exemplo veteris populi de

deterret à ſcortatione,idololatria,& ſimilibus vitiis. Loci concurrunt de Analogia ſacramentorum vet.populi & noui, & ſpecialiter locus de baptiſmo,de cœna Domini, de pœnis ſcelerũ,idololatriæ,ſcortationis,inobedientiæ,& ſimilium. Tandem locum repetit de delectu ciborum.

Cap.11.agit de vitiis, quæ ſpecialiter irrepſerant in ſacros cœtus,& oſtendit conuentus tales oportere decenter & ordine congregari. Loci ſunt de decoro mulierũ, de decoro virorũ in cœtibus,inprimis locus grauiſſimus,de vero vſu cœnæ dominicæ.

Cap.12. diſputat de vſu donorũ ſpiritualium. Nam de iis quoque contendebant, dum alij alia præferrent. Oſtendit autem Apoſtolus, omnia dona ad vnius Chriſti gloriam dirigenda eſſe,nec oportere hinc petere diſſidiorum materiam. Loci ſunt

de donorum varietate, de ſympatheia membrorum in humano corpore.

Cap.13. diſſerit de præſtantia charitatis, ad quam omnia dona ſpiritualia ſunt referenda. Concurrunt loci de linguis, & in genere de imperfectione in hac vita.

Cap.14. de dono linguarũ & prophetiæ ſpecialiter agit, & contra quã Corinthii æſtimabãt, præfert Prophetiæ donũ linguis, & quia in hac parte illorũ cœtus laborabãt in hac ἀταξίᾳ quadã, nominatim prohibe ne mulieres publicè doceãt, imò ne quidẽ habeant poteſtatẽ interrogandi in cœtibus publicis. Concurrunt alii loci, vt de cãtu eccleſiaſtico. &c.

Cap.15. corrigit praua dogmata in quæſtione reſurrectionis, hanc alii prorſus negabant, alii de illius forma ſcrupuloſè inquirebant, alii aliis prauis

uis opinionibus erant infecti, ideò Apostolus docet τὸ ὅτι quòd sit futura, item qualis sit futura. Obiter etiam ad finem hortatur ad constantiam. Hactenus 4. pars, qua respondet ad illorum scriptum.

Capite 16 quinta instituatur pars, quasi Epilogus. Agit autem de priuatis, primum de instituenda collecta, more aliarum ecclesiarum. Deinde agit de rebus propriè ad se pertinentibus, vt de suo aduentu, item de aduentu Timothei, & de eodẽ etiam honorando, item de Stephanæ familia, Fortunato, Achaico, & similibus fratribus. Huic salutationes subiicit, publicas & priuatas.

DISPOSITIO POSTERIoris Epiſtolæ ad Corinthios.

Qui fuerint Corinthii.

COrinthus olim Achaiæ fuit metropolis,& vt Cicero inquit ,lumen totius Græciæ, adeóque in ea æſtimatione, vt Imperij authoritatem, & nomen ſuſtinere poſſet, quales veteres Romani tres ſolùm vrbes computabant, Carthaginem, Corinthum , & Capuam. Ad quam ſanè rem magna erat cōmoditas ex loci oportunitate , cum inter duo maria Ægeum & Ioniū poſita eſſet, vnde quamuis de Imperio certare non potuerit, celeberrimum tamen emporium exhibuit Aſiæ & Europæ, & ſimul vt fit in maritimis emporiis, ſingularem admiſit morum corru-

corruptelã. Quod eò facit, vt intelligamus magnã esse Dei misericordiã, qui in tanta istorum ciuium corruptela, voluit sibi etiam congregare ecclesiam, eamque admodum florẽtem, ad quam scribitur etiã præsens epistola.

OCCASIO EPISTOLÆ.

Occasio nata est ex maleuolentia aduersariorum Pauli, qui more suo omnia dicta & facta Apostoli rapiebant in deterius, in primis ea quæ in 1. epist. piè ipse monuerat, & cãdidè promiserat, vt quod cap. 5. seueriter iusserat illum incestu pollutum tradi Satanæ, id aduersarii mirificè exagitabãt quasi dictum hominis ambitiosi, & censoris nimiũ seueri. Sic quod vltimo cap. promiserat suũ aduentũ, quem impeditus variis persecutionibus non potuit præstare hoc ra-

piunt aduersarii in calumniam, & argumẽtum leuitatis, quasi aliud stans aliud sedens diceret, homo esset facilis in promittẽdo, nõ perinde in cõplendo. Eodẽ pacto alia multa rapiebant in contumeliam, quasi Apostolus dominationem quæreret, & authoritatem nimiá peteret, legem euerteret, homines carnales & dissolutos efficeret, imperiosus nimiũ in scribendo esset, cum interea persona esset abiecta, & contemptibilis. His & similibus calumniis diligenter in hac epist. occurrit, & apud eosdem causam disceptat, apud quos hostes illum imprimis lædebant.

GENVS SCRIPTI.

Ex occasione facilè iudicari potest de genere. Quáquam enim mixtum sit genus scribendi: tamen principale est Apologeticum, quod constat accusatione, & calũniarũ depulsione,

& ob

& ob id pertinet ad iudiciale. Purgat autem ſe imprimis cõtra crimen leuitatis, aſperitatis, ambitionis, inconſtantiæ, & cauponationis in docendo, qui affectus erat carnalis, doctrinam accommodare ad priuatum quæſtum, quæ omnia ita diluit, vt oſtendat dilucidè hæc omnia multò magis aduerſariis competere. Huic prædominanti generi accedunt, quæ huic ſubſeruiunt, & ſine quibus commodè tractari non poterat defenſio. Primũ συστατικὸν, quo paſſim de ſuo in Corinthios amore, aſperſa etiam ſui & Titi & ſimilium cõmendatione quã opportunè hinc inde interſerit. Deinde προτρεπτικὸν, vbi monet Corinthios officii, vt in hominis renati moribus perſiſtant, nec admittãt falſa de præceptore iudicia. Hinc naſcitur etiam ἐπαινετικὸν, quo palàm agit de propriis

laudibus. Quæ omnia eò faciunt, vt cōſtet ſe innocenter traduci à maleuolis, adeóque ſe non dubitare ſuam vocationem & in docendo ſynceritatē, ſimúlque genus doctrinæ cum ſummis aduerſariis conferre.

PROPOSITIO PRINCIPALIS.

Hic ſtatuatur propoſitio principalis. Apoſtolus Paulus nulla leuitate in promiſſis, aut dominādi ſtudio quicquam ſcripſit, nulla etiam ambitione quicquam docuit, ſed ſingulari erga Corinthios amore & benefaciendi ſtudio, omnia & ſcripſit & docuit.

DIVISIO.

Membra hoc ordine cohærent. Principio eſt Epigraphe more cōſueto, quæ cōtinet perſonas, addita breui comprecatione. Locus vt in ſuperioribus, eſt de ordinaria voca-

tione , quam vrget contra calumniatores. Secunda pars eſt exordium verſu 3. quod ab ipſa cauſa deducit. Cùm enim vellet monſtrare, quibus de cauſis impeditus non veniſſet, à gratiarum actione exorditur, Deo pro defenſione liberali in tot malis gratias perſoluens. Loci ſunt de afflictionibus piorum, & earundem fine ac vſu: item de conſolationibus diuinis, & alii. Tertia pars eſt Narratio, verſu octauo. Hæc propriè ſpectat ad Apologiam, explicat enim cauſas impedientes, quæ cùm ſint grauiſſimæ, non poteſt accuſari leuitatis etiamſi præter promiſſum non venerit. Huic loco concurrunt alii, vt ex ſuperioribus, locus de afflictionibus: itē de interceſſionibus piorum, in aduerſis de vera gloria ſanctorum, & ſimiles, qui primo capite abſoluuntur.

Cap.2.diluit crimen aſperitatis,cui concurrebat crimen tyrannidis. Ideo diſſerit initio de vſu triſtitiæ ipſis illatæ vt explicaret finem ſeuerioris ſcripti,mox ſentẽtiam excommunicationis latam ſup. cap. 5. mitigat, hortatúrque Corinthios vt excluſum recipiant, ne à Satana præoccupetur . Loci ſunt de triſtitia, & eius commodis,de condonatione fraterna, de ſucceſſu Euãgelii, & eiuſdem impedimẽtis,de cauponatione verbi Dei.Cap.3.agit contra crimen oſtentationis, à quo ſe alienum facit, vel ipſorum Corinthiorum teſtimonio, quorum eccleſia adeò feliciter inſtituta cõmendabat prçceptoris fidem, & ſynceritatem. Hunc locum eleganti digreſſione amplificat,inſtituta collatione inter Chriſtum & Moſen. Loci ſunt de vera & pia iactantia, de ſpiritu & litera,de præſtantia

noui

noui Testamenti, de cæcitate Iudæorum in lectione Mosis, &c.

Cap. 4. persequitur fidem in docēdo, quòd scil. nulla ambitione ductus, docuerit, sed omnia semper ad Christi gloriam dirigat, quò pertinet etiam caput 5. Loci insigniores sunt de synceritate pii doctoris in docendo, de cæcitate impiorum, de iudicio sanctorum, de morte, de reconciliatione totius humani generis in Christo, & alii multi. Et hactenus quidem Apologia, per ista 5. capita.

Quarta deinceps sequitur pars, à capite 6. quæ iam non tam pertinet ad personam, siue doctrinam Apostoli, sed potius ad Corinthiorū officium. Videtur enim omnia sequētia παραινετικὰ esse præsertim cap 6. 8. 9. Nam 6. capite hortatur eos ad varias virtutes, etiam suo proposito exemplo. Vnde totidem nascun-

tur loci quot numerantur virtutes.

Cap.7.ſui & Titi habetur commẽdatio,& plenior etiam excuſatio ſententiæ excommunicationis, quam ſuprà capite ſecundo quoque excuſauerat.

Cap.8. & 9. agit de collecta faciẽnda ad quã & rationibus & exemplis eos conatur excitare.

Cap.10. inſtituatur 5 pars epiſtolæ. Quæ locum habet de propriis laudibus, qui facit contra eos qui humilitatem perſonæ Paulinæ in cõtemptum vocabant.

Quare cap.10. incipit aſſerere authoritatẽ ſuam, etiam ſine expreſſo, quòd ſcilicet faciat ad ædificationem nõ ad deſtructionem. Quod ipſius maleuoli non rectè ſeruabãt. Nã illi quoquo modo mordicus tuebantur dignitatem. Illuſtris locus eſt

de

de propriis laudibus: item de vi obtrectationis, item honestam sui defensionem esse concessam.

Cap. 11. modestè ipsis iniicit suspicionem, quasi non manserint in simplicitate fidei, hinc redit ad suas laudes, séque confert cum summis aduersariis, & mox percurrit prolixè eas laudes, quas sibi seriò potuerat tribuere, præsertim varias & multas persequutiones, à quibus maleuoli sibi studiosè cauebant. Loci iidem sunt insignes, qui iam enumerati sunt, quibus accedunt, locus de vera æmulatione, item quod gratis docuerit.

Capite 12. idem adhuc persequitur argumentum vsque ad versum 14. Itaque eo loci constituatur sexta pars, quæ tota est denunciatoria. Nam primitus suum iterũ promittit aduentum, ne putarent sententiam

à ſe eſſe mutatam. Hac occaſione oſtẽdit qualẽ ſint ipſum habituri, impœnitentes certè ſeuerum, pœnitentes verò nihil Paulo clementius & humilius. Huc pertinet principium 13. capitis. Deinceps verſu 11. ſeptima pars conſtituatur, quæ breuem continet Epilogum. Conſtat autem ille cohortatione, ſalutatione, comprecatione, & ita totam Epiſtolam concludit.

DISPOSITIO EPISTOLAE ad Galatas.

Qui fuerint Galatæ.

GAlatæ Aſiatici fuerũt populi, originem ducentes ab Europeis Gallis, quos Græci Galatas appellabant, tum etiam Celtas nomen indubiè adepti, ἀπὸ τοῦ γάλατος, hoc eſt, à

lacte, quandoquidem haberent corpora magis candida, nec more Italorum aut Hispanorum fusca, nec Asiaticorum instar denigrata, vnde Germanorũ fratres dicti sunt, quòd magna esset inter eos corporum similitudo. Quomodo autem ex Europa in Asiá transierint, & sedes illic tandem obtinuerint inter Bithyniam & Cappadociam, vide Strabonem lib. 12. Plutarchum in vita Camilli, Iustinum lib. 25. statim ab initio, Liuium lib. 8. decadis quartæ, Plinium lib. 5. cap. 32. Dicti sunt Gallogræci, quòd mixtim illa terra tum à Græcis, tum à Gallis coleretur. Ab Oriente habuerunt Cappadociam, & Halim fluuium: ab Occidente, Bithyniam, & Asiam: à Meridie, Pamphyliam: à Septẽtrione Pontum Euxinum. Ad hos Gallos, seu Gallogræcos, aut etiã Galatas bis venit Apostolus, primò

prohibuit illum Spiritus ibidem loqui, quòd nimirum vocaretur aliò, vt est capite 16. in Actis. Secundo iterum eos conuenit, cap. 18. Actorum, quo tempore eis diligenter exposuit fidem in Christum, docens nos mera Dei gratia per Christum saluos reddi, sine obseruatione ceremoniarum legis, adeóque ipsius circuncisionis. Nec defuit successus: nam non solùm vnam Ecclesiam, sed plures, & vt apparet florentes in ea regione instituit, vt patet ex epigraphe.

OCCASIO.

Occasio scribēdi hanc Epistolam planè fuit oblata à Pseudodoctoribus. Nam post discessum Apostoli ex Galatia, homines vanis opinionibus imbuti multa cœperunt in illis Ecclesiis innouare, adeò vt reducerent ritus Iudaicos, circuncisionem, temporum & ciborum discrimina

crimina, obseruationem nouilunii, & neomeniç, quç omnia simplicitatem doctrinæ Euangelicæ corrumpebant. Ac vt illa apud auditores obtinerent, non abstinebant à calumniis, quibus ipsum Apostolum contemptim traducebant. Quòd cum Christo non vixisset in carne, nec illi esset conuersatus, & reliquos Apostolos non audiuisset, qui contra morē Pauli circuncisionē non reprehēderēt, & alia legalia obseruarēt. His & similibus, & personā & doctrinā Apostoli lædebāt. Hinc motus hanc scripsit Epistolam. Primùm, vt corruptelas admissas emēdaret. Deinde ipsis patefaceret quales iā haberēt doctores, impostores sc. & corruptores Euāgelicç veritatis. Demū vt se & doctrinā suā ab istis calūniis tueretur.

GENVS SCRIPTI.

Cum sanā semel receperāt doctrinā

& passi erant synceritatem illius corrumpi in eius restitutionem incumbit tota Epistola, ideò ad Epanorthosin pertinet. Certũ enim est scopum hunc esse, corruptelas corrigere, quę nisi incidissent, non erat scripturus talem Epistolam. Præcipuæ autem corruptelæ erant, quod quidam passi essent sese circumcidi, quasi esset necessaria circuncisio ad salutẽ, alii temporum & ciborũ delectum obseruabant, ac si sine his salui fieri non possent in Christo. Accedunt huic specialia quibus correctio commodius tractatur, vt Apologeticũ, quo se suámque personam defendit, & monstrat quomodo cum Apostolis cõuersatus sit. Deinde accedit etiam ψεκτικὸν, vt capite 1.3. & 4. videre est, quo illos grauiter taxat, tanquã stultos, superstitiosos, inconstantes, & nimium faciles ad lapsum. Quædam sunt

ſunt διδακτικὰ, quibus confirmat iuſtitiam fidei, contra operum merita, & circūciſionis dignitatem. Item quo docet legis neceſſariam abrogationem: vt eſt videre capite 2.3.4. & partim 5. Accedunt etiam quædam προτρεπτικὰ quibus grauiter hortatur ad bona opera, & officium renati hominis, item vt reuertantur ad eam ſimplicitatem doctrinæ, quam à Paulo acceperāt. Prætereà ſunt quędam ἐπαινετικὰ quibus laudat Galatas, vt capite 4. quòd illum acceperant quaſi Angelū Dei. Item quædā παραινετικὰ cap. 5. vbi admonet de neceſſariis virtutibus.

PROPOSITIO.

Propoſitio duplex conſideranda eſt, prior perſonalis eſt, ideóque ſpecialis, & ad hanc tota reſpicit Epiſtola. Nimirum quòd Galatæ in ſimplicitate Paulinæ doctrinæ debuerint

constanter perdurare, nec sese ita faciles præbere seductoribus ad defectionem. Huc respicit iam tota argumentatio, vt quod in titulo ostendit se non ab hominibus, neque per hominem vocatũ esse, sed ab ipso Deo per Christum. Itaque minimè debuistis à mea doctrina deficere. Deinde in exordio à persona nouorum doctorũ, qui vos, inquit, perturbãt, contra mentem Christi, nouo introducto Euangelio: itaque minimè erant audiendi. Sic in Narratione ab autore suæ doctrinæ idem contendit, qui est ipse filius Dei. Itaque non erat ita facilè deserenda. Item quod in eadem Narratione habetur, quòd sua doctrina postea ab Apostolis nulla ex parte sit correcta, cùm imprimis eo nomine Hierosolymã esset profectus. Item quòd ipse Paulus potius correxerit Petrum, ídque in obser-

uantia

uantia legalium, quæ legalia Galatæ iterum admiserant Iudaico more. Et hanc correctionem Petrus æquo animo tulit. Atque hæc prior est propositio. Altera est, quæ ad ipsam causam pertinet, & ob id generalis potest dici. Quæritur enim hîc de genere doctrinæ, quod apud omnes ecclesias valere debet, scilicet fide in Christum, mera Dei gratia, non operibus legis, aliísve ceremoniis nos iustificari. Hæc deinceps tractatur capite 3.4. & 5. quamuis hinc inde primo & secundo capite quoque aspergatur superioribus. Et hanc propriè opponit aduersariorũ doctrinæ, eámque confirmat validis rationibus. Loci insignes sunt de iustificatione per fidem, de natura legis, circuncisionis, de bonis operibus, aliísque, &c.

DIVISIO.

1 Membra ſic connectantur. Initio titulus eſt, qui more ſolito cõſtat ſubſcriptione, inſcriptione & ſalutatione. Inſeritur locus de ſua vocatione, quòd immediatè à Deo ad hoc munus docendi acceſſerit, & attingitur principalis propoſitio, quòd Chriſti morte ſimus redempti à peccato ſecundùm voluntatem Dei Patris, quod nihil aliud eſt dicere quã quod in ſecunda propoſitione explicuimus. 2. Secundo loco ſequitur exordium quod ſumit ab admiratione noui lapſus. Nam reprehendit in eis facilitatem. Hoc loco ſtatuitur propoſitio prior, non debuiſſe deficere ab eo genere doctrinæ, quod à Paulo acceperant. 3. Tertio loco ſubnectitur narratio, in qua agit de rebus ſuis, hoc eſt, de ſua vocatione, doctrina, peregrinationibus, con-

gre-

gressu cum reliquis Apostolis, cōuer
satione cū Petro, eiúsq; lapsu, & re-
prehēsione sua, qua simulātē & dissi
mulantē castigauit. Quarto loco sta-
tuitur πρότασις, propositio totius cau
sæ, quòd scilicet fide in Christū, sine
operū dignitate iustificemur, id pro-
ponit capite 2. versu 16. & nonnihil
explicat vsque ad finem illius capitis,
additis rationibus more suo. Quin-
to loco sequitur κατασκευὴ confirma-
tio propositionis, principio 3. capitis.
Continuatur propositionis confir-
matio per totum caput 3. 4. & prin-
cipium quinti cap. Sexta pars conti-
net παραίνεσιν, quæ superioribus an-
nectitur per præoccupationem cap.
6. versu 13. Locus totus est de doctri
na operum, de dilectione proximi,
de fructibus spiritus & carnis, de le-
nitate erga infirmos exercenda, de
victu quem ecclesiæ debent piis do-

ctoribus, de libertate Chriſtiana moderanda, de beneficentia in pauperes: producuntur hæc vſque ad verſum 11. capitis 6. Septima inde pars cōſtituatur. Epilogus ſcilicet, in quo pauca quædam repetit de ingenio malorum doctorum, quorum opera circuncisio & alia legalia illis erāt obtruſa, de vera gloria, de ſua conditione, & cupiditate hinc emigrandi: atque hæc generalia videntur. Ad finem breui cōprecatione totam concludit Epiſtolam.

DISPOSITIO Epiſtolæ ad Epheſios.

Qui fuerint Epheſii.

EPHESVS ciuitas poſita eſt in littore maris Ionii, ſpectans ad Occa-

ſum minoris Aſiæ, olim ampliſſima mercatu, & Dianæ cultu admodum ſuperſtitioſo, ex quo effectum eſt vt minoris Aſiæ haberetur metropolis, & Ioniæ quoddā lumen. Mercatum auxit maris opportunitas, quæ commodā exhibet ſtationē nauigātibus in Syriam, Iudæā, Aegyptū ex Italia, Macedonia, Græcia, aliiſq; Europæ locis, & inde in has regiones redeūtibus. Superſtitionem verò confirmauit & admirabilem reddidit Dianæ illud antiquiſſimum & ſumptuoſiſſimum templum, de quo refert Plinius libro trigeſimo ſexto, capite decimo quarto quòd annis ducentis viginti à tota Aſia ſit conditum, & loco quidem paluſtri, ne ſcilicet terræmotu quateretur, & ſtrato priùs carbonibus fundamento ne ſubſideret. Pauſanias tamen refert in Achaicis libro ſeptimo, templum

hoc à rege Crœſo & Epheſo erectũ, incolentibus tum iſta loca Lelegibus & Lydis, antequam eò commigraſſent Amazones, quæ poſtea & vrbem & templum occuparunt. Porrò Iones duce Androclo inde eiecerunt Lydos & Leleges cõtracto cum Amazonibus fœdere, inde facta eſt ciuitas Ionica. Ad hos Epheſios, vt conſtat ex Actis bis venit Apoſtolus Paulus, primo aduentu humaniter fuit exceptus, tamen non diu ibi permanſit, quod feſtinaret Hieroſolymam, vt eſt Actorum 18, interim tamen poſuit fundamẽta quædam & initia religionis, mox capite 16. ad eoſdem reuerſus mãſit biennio, quia videbat oſtium docẽdi ſibi magnum hîc apertum eſſe, vt ipſemet teſtatur in prima ad Corinhtios 16. cap. Capite autẽ vigeſimo Actorũ, Apoſtolus Paulus in oratione ad ſeniores Epheſios

ſios ait,ſe tribus integris annis illic vi xiſſe, exactiùs ſcilicet & diligentiùs tempora computans. In hac Eccleſia conſtituenda magna vſus eſt felicitate. Nam homines illi non ſolùm erant moribus leues & ſuperſtitione imbuti,ſed magicis etiam artibus dediti, quibus malis euertendis Dominus voluit demonſtrare vim Euangelii, quantò ſcilicet potentior eſſet hæc doctrina omnibus Satanæ incãtamentis. Nam Magicæ artes ita confutãtur ab Apoſtolo,vt ipſimet comportatos libros ſuos magicos publico ſpectaculo comburant. Quorum librorum pretia Lucas dicit computata fuiſſe ad quinquaginta millia denariorum. Cæterùm in hac felicitate Euangelii, Apoſtolus tamen non caruit ſuis periculis, vt eſt videre Act. 19. in prima ad Corinthios 16. vbi inter alia teſtatur ſe cum beſtiis pu-

gnaſſe Epheſi. Vide etiam Nicephorum lib. 2. cap. 25. Ad hos igitur Epheſios toto triennio adeò feliciter inſtitutos, & in fide adhuc ſyncerè conſtantes præſentem ſcribi Epiſtolam.

OCCASIO.

Occaſio quæſita videtur eſſe. Non dum enim defecerãt Epheſii, nec vllos errores in doctrina admiſerant, quemadmodum Corinthiis & Galatis acciderat: tamen Apoſtolus vicinus iam morti & ſenex, Eccleſiam hanc voluit ad cõſtantiam in profeſſione cohortari. Itaque amor veritatis illi occaſionem præbuit. porrò reliquerat apud eos ſeniores quoſdam & cum illis Timotheum quaſi Epiſcopum, quos diligenter admonuerat officii ſui in extremo digreſſu, Actorum vigeſimo, vbi ſatis patefecit quid in futurum metueret. Ita-

que

que iam abſens curam hanc pro eis conſeruandis non depoſuit. Nam manſit adhuc metus futuri periculi, quod mox poſt ſuum digreſſum emerſuri eſſent lupi graues & falſi doctores ex ipſorum ipſo cœtu, qui fratres poſt ſe abducerēt. Hunc metum non fuiſſe fruſtraneum antecedentia quædam exempla docent. Itaque Apoſtolus voluit extare illuſtre aliquod teſtimonium ſuæ doctrinæ etiam in hac Eccleſia, quod falſis doctoribus ſuo tempore poſſet opponi, & quò rectè ſentientes haberent regulam in doctrina & moribus, quam tutò ſequerentur.

GENVS.

Genus principale conſtituamus προτρεπτικὸν, quia ſcopus Apoſtoli eſt ad conſtantiam hortari traditæ ipſis doctrinæ, & quam adhuc

purè retinebant. Accessoria multa sunt. Laudat enim illorum fidem & constãtiam quod est ἐπαινετικόν. Prę-terea copiosus est in explicandis diui nis beneficiis, quæ nobis nihil tale merentibus contulit, quod est ἐξηγητικόν, & pro his tot beneficiis sæpe Deo agit gratias, quod est εὐχαριστικόν Interdum petit à Deo vt dona sua in Ephesiis augeat, quod est εὐκτικόν, & ipsis etiam detur præsentiũ bonorũ vera agnitio & constantiæ robur. Accedunt διδακτικὰ, quibus ostendit vim salutis in vno Christo reside re, & esse gratiæ diuinæ merúmque donum Dei, nõ operum aliquod me ritum, ne quis glorietur. Sic διδακτικὰ sunt quod capite 2. de se & suorum laborum fide disserit. Sunt etiam quædam νουθετικὰ quibus admonet eos, quales olim fuerint ante conuer sionem, quàm indigni tot beneficiis,
&

& contrà quàm felix nunc ſit rerum ſtatus apud eos, vt ſcilicet bona præſentia in Chriſto haberent eò charíora.

ARGVMENTVM.

Argumẽto Epiſtola nõ videtur eſſe diſſimilis ei quæ fuit ad Romanos & ad Galatas ſcripta: tamen alio genere tractatur, vt difficile ſit partes cõmodè diſtinguere, niſi ſecundùm ipſam materiam. Tamen in hoc genere tractat, Deum Patrem in Chriſto infinita nobis contuliſſe beneficia, quæ ſtatim applicat tum ad Iudæos, tum ad Gentes, & contrà oſtendit omnes homines natura ſua fuiſſe inhabiles ad ea, & in genere ad totam cauſam ſalutis, in quo iterum Iudæos Gentibus æquat. Hinc tandem infert quod inde ſequitur ſponte, ſalutem & vitã æternam eſſe donum Dei, nec poſſe vllum de aliquo meri

to gloriari. Hinc digreditur in prioris vitæ deſcriptionem, cui opponit præſentem vitam poſt cõuerſionem & beneficia Chriſti, quæ negari non poterant. Inde ad doctrinam ſuam ſe conuertit, oſtendens ad illius conſeruationem pertinere totum ſuum miniſterium, & præſentem etiam captiuitatem, adeóque mortem, qua ſit confirmaturus hanc doctrinam, ex quo etiã ſequitur principalis propoſitio, Epheſios exemplo Pauli oportere conſtantes eſſe in hac doctrina. Vltimò diſſerit de operibus renati hominis, ne putarent fidem conſtare nuda quadam confeſſione, ſed neceſſariò in ea requiri bona opera.

PROPOSITIO.

Duas in hac etiam Epiſtola conſtituimus propoſitiones, quæ tamen ſibi ſubſeruiunt. Prima perſonalis eſt quod ſcil. Epheſii in doctrina ſibi

tradita ab Apostolo & Christianæ dilectionis officiis vti hactenus fuerunt, ita deinceps quoque debeant esse constantes. Altera propositio ad rem ipsam pertinet. Nam explicat quæ sit doctrina Paulina, & eam copiosè in hac epistola ornat, & magis explicat quàm probet. Concipiamus igitur eam hoc pacto: Deus Pater in filio suo nobis maxima dona, quorum caput est vita æterna, gratis nihíl que tale merentibus cōtulit, ideo vitæ sanctimonia & cōstantia professionem hanc fidei ornare debemus.

PARTES EPISTOLÆ.

Principalis propositio tres habet partes, quarum prior habet commemorationem diuinorum beneficiorum, quæ in Christo electis cōferuntur. Altera verò ostēdit quàm simus omnes natura inhabiles ad ea beneficia perficienda. Tertia quòd opor-

teat hanc doctrinam constantia, & bonis moribus ornare. Sed partes ordine sic connectamus. Initio titulus est cõstans inscriptione, subscriptione & salutatione. Secundo loco est Exordium, quod sumitur à rei magnitudine, ac facit ad attentionem, éstque hoc loco statim constituenda propositio, ad quam reliqua referuntur, scilicet ver. 3. hac sententia, Deus omnibus piis laudãdus est. Hinc tertia pars constituatur, Confirmatio, eodem versu, & habet commemorationem causarum, cur Deus sit laudandus. Causæ sumũtur à beneficiis, quæ piis cõferuntur in Christo, qualia hæc sunt: vocatio, electio, sanctificatio, prædestinatio, reconciliatio, redẽptio, dona S. Sancti, qualia sunt sapiẽtia & prudẽtia, patefactio diuinæ volũtatis, restitutio totius creaturæ in Christo, quæ omnia efficiũt Deũ esse

esse laudandum. Hinc sequitur minor propositio, nos Iudæi & nos Gẽtes talia accepimus: ergo laudandus est à nobis omnibus. Additur minori propositioni ἔκτασις de vsu donorum Spiritus Sancti. Ac ista quasi ad vnum locum pertinent cõfirmationis à rerum magnitudine. Alter locus confirmationis est capite primo, ver. 15. ab authoritate Apostoli Pauli qui in hunc ipsum finem pro Ephesiis semper intercedit apud Deum, vt tanta beneficia ritè agnoscãt, adeóque auctiora ipsis reddãtur. Tertius locus confirmationis sequitur capite secundo, quo ostendit ab ipsorum persona quàm fuerint tantis beneficiis indigni, adeóque prorsus inhabiles ad salutem consequendam, &, vt ipse loquitur, natura filij iræ. Nam hinc etiã efficitur Deum magis laudandum esse, quandoquidem indi-

gnis contulit. Et hactenus confirmatio propositionis in exordio positæ. Quarta pars deinde constituatur eodem cap. 2. ver 5. 8 & 9. quæ habet principalem propositionem causæ, quod gratis sine respectu operum in Christo iustificemur: fluit hæc rectè ex superiori argumentatione. Confer hæc cum propositione simili ad Romanos tertio, ver. 24. & 28. & ad Romanos 11. ver. 6. Ad Galatas 2. ver. 16. & ad Gal. 3. ver. 8. Huic propositioni additur sua confirmatio. Nam instituitur antithesis prioris vitæ ante conuersionē, & vitæ post conuersionem. Ex quarum rerum consideratione ostendit quo modo gratis iustificemur. Capite tertio ostendit ad huius doctrinæ conseruationem pertinere totum suum ministeriū, imprimis officiū docendi Gentes, sua pericula & ipsam mortē, quibus aditum

ſibi facit ad alteram principalem propoſitionem de conſtantia, quæ tandem ponitur capite tertio, verſu 13. Statuatur ergo hîc quinta pars continens propoſitionem, quæ ad ipſam perſonã Epheſiorum ſpectat, quod hanc doctrinam conſtantia tueri debeant: huc facit ſuperior tota argumentatio, in primis ſuum exẽplum conſtantię. Capite 4. ingreditur doctrinam operum, quæ ſexta ſit pars de officiis renati hominis. Habet hoc mẽbrum ſuam propoſitionem, confirmationẽ & ſimiles locos. Propoſitio eſt, Vita & moribus ornanda eſt hæc doctrina, quod ideo dicit ne putent cauſæ huic ſatiſfieri inani quodam fidei ſimulachro, dum tantopere fidei nomen mundo cõmendatur. Hoc in genere tractat, mox ad ſpeciem deſcendẽs de vita ipſa emendanda: ſubiiciuntur hinc magis

ſpecialia, vt locus contra mēdacium, de ira, furto, de oris caſtimonia, & cōtra ſimilia vitia. Capite 5. dilectionem commēdat Chriſti exemplo, & iterum digreditur in prioris vitæ vitia, & mox inde ſe recipit ad propoſitionem, cautè ambulandū eſſe, ver. 15. capitis 5. ac iterum recenſet vitia, quæ emēdatione digna ſunt, quibus opponit virtutes, & honeſta exercitia Pſalmorum & eiuſmodi. Atque iſta omnia ad omnes pertinent, tanquam verè Ethica Chriſtiana. Secunda parte perſequitur officia priuatorum. Locus communis eſt de ſubiectione, ſed cadit in tres claſſes: in ſubiectionē coniugalem, filialē, & ſeruilem. Ideo cap. 5. ver. 23. perſequitur officia vxoris & mariti, quibus aſpergit elegans exemplū Chriſti & Eccleſiæ. Cap. 6. alteram ſpeciem ſubiectionis perſequitur, ſcil. filiorū erga parentes

rentes, vbi etiam docet quod ſit officium parentum erga liberos. Et eodem cap. ver. 5. perſequitur ſpeciẽ tertiam, de mutuo ſeruorum & dominorum officio.

Verſu 10. conſtituatur vltima pars, quæ habet epilogum generalem, cuius partes præcipuæ ſunt. Primùm repetitur principalis propoſitio, qua ad conſtantiam hortatur. Secundò, deſcribitur Chriſtiani hominis πανοπλία, hoc eſt, armatura, in qua continentur inſtrumenta conſtantiæ. Tertius locus eſt de precibus, tũ priuatis, tum publicis. Faciunt autem preces etiam ad tuẽdam conſtantiam. Quartus locus priuata continet, vt quod illis commendat Tychicum, ex quo omnia copioſiùs ſint percepturi.

Quintus locus continet comprecationem, & finalem clauſulam totius Epiſtolæ.

DISPOSITIO EPISTOLæ ad Philippenses.

Qui fuerint Philippenses.

PHilippi vetus fuit Colonia Thasiorum in Macedonia, olim Datos appellata, & ante nomen hoc Crenida. Nam fontibus abundabat collis ille in quo condita fuit. Hanc vrbem Philippus Macedo vallo muniuit & auctiorem reddidit, & à se Philippos appellauit. Plinius lib. 4. cap. 11. Thraciæ cõnumerat. Hîc campi sunt Philippici, nobilitati victoria Octauij Augusti contra Brutum & Cassium Iulij Cæsaris interfectores. Appianus Alexandrinus libro 4. de bellis ciuilibus pulcherrimè eam describit his verbis, Philippi ciuitas est, quæ olim Datos dicebatur, Crenida

autem

autem ante nomen Dati appellata, quippe fontes plurimi circa collem vberibus ſcaturiunt aquis, eũ locum Philippus vt accommodum metatus ſuper Thraces vallo ſepſit, & à ſe Philippos nuncupauit. Condita autem eſt ciuitas in prærupto quodam colle, & magnitudo eius collis latitudinem complexa eſt, habetque à Septentrione ſaltus & nemora, ad quæ Raſcupolis Bruti exercitum cõſidere monuit. A Meridie palus adiacet, & mare vltra illam. Ab Oriente Sapiorum & Torpilorum viſuntur anguſta. Ex Occidente cãpus eſt ampliſſimus, ad Marcinũ vſque & Trabiſcum & Strimonem fluuium, per ſtadia trecenta quinquaginta, gramine vberrimus & amœnus, &c. Ad hos Philippos peruenit Diuus Apoſtolus, vt eſt Actorum 16. vnà cum Sila. Multis diebus ibidem docuit Spi-

ritu S. monitore, hoſpitio vſus Lydiæ purpuriſſæ, mox vterque ibi cæſus in carcerem coniectus eſt propter ſpiritum Pythonis à puella eiectum, ſed mox mirabili Dei conſilio glorioſè iterum emittitur. Hos igitur abſens, & à ſe rectè inſtitutos cõfirmat in ſuſcepta doctrina, hortatúrque vt omnibus modis perſiſtant in fide, & profeſſionem hanc vitæ innocentia ornent,

OCCASIO.

Occaſio certis de cauſis illi oblata eſt. Nam habebant domeſtica diſſidia, vt eſt videre capite 1. ver. 28. & capite 2. ver. 3. & 4. vbi hortatur ne quid per contentionem & æmulationem agant. Præterea imminebant ipſis vt aliis eccleſiis grauia pericula & perſequutiones, in quibus ignominia crucis, & præſens Apoſtoli captiuitas multos mouebat, quæ omnia

voluit

voluit hac epiſtola diluere, ipſóſque cõfirmatos reddere contra huiuſmodi offendicula, & quæuis pericula. Præterea ſollicitabãtur à falſis doctoribus, vt circuncisionem & alia onera legis admitterent, vt eſt videre capite tertio. Ne igitur his eueniret quod Galatis acciderat, præmonet ne hos doctores admittant, imò tanquam canes & hoſtes crucis Chriſti diligenter caueant. Quæſita etiam videri poteſt. Nam in ipſum Apoſtolum multa cõtulerant beneficia, pro quibus voluit illis agere gratias, imprimis quòd aluiſſet ipſum ſuis ſumptibus in eccleſia Theſſalonicenſi, vt eſt videre capite quarto.

PROPOSITIO.

Principalis propoſitio eſt, In hac ipſa doctrina Chriſtianæ religionis, quam acceperunt à Paulo conſtanter Philippenſibus perdurãdum eſt, ſo-

lùm vitæ innocentia eâdem strenuè ornent vsque ad aduentum Domini Christi. Hoc totum Apostolus appellat dignè ambulare Euangelio, cap.1.vers. 27.

GENVS.

Genus principale suasorium est. Nam hortatur ad fidei constantiam, cōcordiam, humilitatem, vitę innocentiam, & similes virtutes. Huic accedūt plura, vt est Eucharisticū, quo Deo pro illorum fide gratias agit. Itē ipsis Philippensibus pro subministratis vitæ necessariis. Didacticum, quo docet sua vincula non facere ad ignominiam doctrinæ, sed potius ad eius confirmationem. Item capite tertio, planè didacticus est, pro iustitia fidei differens cōtra legis iustitiam. Epæneticum cap. primo aspergitur, nam laudat eos à constantia. Item capite quarto, laudat ipsorum liberalitatem

&

capite ſecundo, habentur Timothei laudes, & ibidem Epaphroditi. Sunt quædã etiam μεμπτικὰ inuectiua, ſiue reprehenſoria, vt capite ſecundo, de falſis doctoribus, quòd ſua ſolùm quærãt, & nõ quæ ſunt Chriſti. Item capite tertio, appellat canes, malos operarios, conciſionem pro circunciſione: item hoſtes crucis Chriſti, quibus taxat Iudæos quoſdã qui legem Moſis, imprimis verò circũciſionem cum Euangelio conabantur commiſcere, quaſi obſeruatu res neceſſarias Chriſti ſectatoribus.

PARTES EPISTOLÆ.

Partes ſic connectimus. Initio titulus eſt, perſonarum ratione coniunctus, collocatione verò partium ſimplex. Conſtat enim nuda inſcriptione, ſubſcriptione, & ſalutatione. Altera pars exordium eſt verſu 3. genere Euchariſticũ, virtute exordiorum

ſpectat beneuolentiam, quam diligenter captat à ſuo erga ipſos affectu. Et conſtat propoſitione, & propoſitionis ratione. Propoſitio eſt, Se nunquam nõ pro ipſis Deo agere gratias. Ætiologia eſt à genere vocationis, à à ſuę perſonæ decoro, à cõmuni gratia & fortuna, & quia Deum habeat teſtem huius erga illos beneuolẽtiæ. Addit comprecationem, quibus ipſis optat auctiora bona & infert mẽtionem bonorum operum, quia ad illorum ſtudium mox eſt exhortaturus, & hactenus exordium. Tertia pars conſtituatur ver. 12. quæ habet vim cõfutationis. Nam eſt Apologia pro vinculis ſuis: ſentẽtia eſt, ſua vincula non facere ad ignominiam doctrinæ ſed potius ad confirmationem eiuſdem. Rationes ſunt, quia Chriſto glorioſa eſt captiuitas, deinde hominibus bono fuit exemplo. Nam mul

tos etiam ex hoſtibus excitauit ad æmulationem docendi. Hoc argumentum illuſtri diuiſione tractat, & præterea quia hoc ipſi ſit ſalutare, & ipſis Philippēſibus vtile. Hactenus confutatio ignominiæ. Quarta pars conſtituatur ver. 27. quæ continet generalem propoſitionē, quòd oporteat præſentem doctrinam bonorum operũ ſtudio exornare, quòd vocat ambulare Euangelio Chriſti. Hic ſcopus eſt totius Epiſtolæ, ideo propoſitioni connectimus confirmationē. Cōfirmationis præcipua argumēta ſunt, à ſua ſpe & expectatione, deinde quia hoc promouet cauſam fidei: tertiò à perſona hoſtiũ & contrariæ doctrinæ, quæ eſt pernicioſa ipſis ſuis doctoribus: quartò à dono Spiritus quod illi habebāt Apoſtoli dono non inferius, atque ſic concluditur hoc primum caput.

Capite ſecundo ad ſpecialia deſcendit, vt conſtet quibus operibus ornanda ſit hæc doctrina. Hortatur igitur primùm ad ſtudium cōcordię quod ſuaui immoratione tractat, & contrariorum collatione. Secundò, hortatur ad humilitatem, & curam pro fratribus, cui addit ſuaue exemplum Chriſti. Tertiò ad obſeruantiā ſuæ, id eſt, Apoſtolicę doctrinæ. Huic loco adduntur multa argumēta, vt quòd hactenus ſemper ſe tales præſtiterint, & quòd Deum habeāt in hoc curſu propitium, & quòd ex hac re magna ſit ſperanda vtilitas. Item quòd ipſi Apoſtolo ſit futurum ornamētum. Præterea quòd ipſe Apoſtolus quoque pro ipſis quiduis paſſurus ſit. Atque hactenus Protreptica. Deinceps à ver. 19. capitis ſecundi, intermiſſa argumentatione conuertit ſe ad συστατικὰ, id eſt, ad commen

mendationes. Ac primùm promittit & cõmendat ipsis Timotheũ. Secundò suũ etiã promittit aduentũ, Tertiò, commendat ipsis Epaphroditũ.

Capite tertio præmonet de cauẽdis seductoribus, & grauiter disputat contra circuncisionem, suo proposito exemplo, quo tanquam absoluto ostendit veram iustitiam, quæ corã Deo valeat esse ex fide in Christum, non ex operibus seu circuncisionis, seu alterius legis.

Capite quarto repetit exhortationem ad constantiam, quæ planè pertinet ad generalem propositionem priùs positam, mox specialia ingreditur, & priuatas personas officii admonet, vt Euodiam, Syntichem, & similes. Versu 8. cõstituatur quinta pars, Epilogus totius epistolæ. Cuius loci sunt: primùm repetitur exhortatio ad vitam, quæ ornet Christianam

professionem. Alter locus habet laudes Philippensium, & in Apostolo grati animi est argumentum: dederant illi vitæ necessaria præ reliquis ecclesiis liberaliùs, hoc studium hic commendat. Similia habuimus in 2. ad Cor. cap. 11. Tertius locus habet Doxologiam. Quartus, salutationes. Quintus & vltimus, comprecationem: & sic absoluta est etiam præsens Epistola.

COMPOSITIO Epistolæ ad Colossenses.

Qui fuerint Colossenses.

COlossæ, Colossarum magna ciuitas fuit & populosa Phrygiæ Pacatianæ, sita ad

ad Lycum & Meandrum flumina, postea mutato nomine appellata Chone. Vicinas habuit vrbes Apameam, Laodiceam, & Hierapolim, quarum in hac Epistola fit mentio, terræmotibus aliquoties concussa cum his vicinis vrbibus, vnde ni fallor factum est vt Strabo lib. 12. oppidum vocet. Nam Xenophon antiquior author, & inspectator huius vrbis non dubitauit vocare, Vrbem bene habitatam, felicē & magnam. Locus est libro primo expeditionis. Plinius lib. 5. cap. 32. Laodiceæ etiam facit vicinam, & lib. 31. cap. secundo, refert ibi amnem quendam esse, in quem coniecti lateres lapidescant. Vide Strabonem lib. 10. & 12. Herodotū lib. 7. & Plinium citatis locis.

In Actis 16. legimus Paulum peragrasse Phrygiam: & cap. 18. Galaticam regionē, & Phrygiam trāsit con-

firmans fratres, tamē huius vrbis nulla fit mentio, nec etiam vicinarum, quas tamen non videbatur silentio præteriturus D. Lucas, si Apostolus has accessisset. Itaque sic statuendum est, in illis peregrinationibus Pauli, minoris Phrygiæ fieri mentionem, non maioris in qua erāt Colossæ. In minori erat Metropolis Troia, vnde à Virgilio Phryges etiam appellantur: ex quo constat Apostolum Colossas non peruenisse.

OCCASIO.

Colossenses Apostolus nec viderat, nec instituerat, sed erant rectè instituti ab Epaphra, Onesimo, Tychico, & similibus. Ab his igitur, & imprimis ab Epaphra fideli Colossensium ministro didicit Apostolus fortunam huius Ecclesiæ, quòd scilicet ei immineret à Iudæis & prophanis philosophis periculum, quemadmodum

dum Philippensibus & aliis. Nam Iudæi etiam Colossensibus Mosaicas ceremonias conabantur obtrudere. Philosophastri autē nescio quas subtiles disputationes de Deo, Angelis, similibúsque argutiis proponebant, quibus omnibus simplicitas & puritas fidei Christianæ euertebatur. Quare Apostolus vt etiam apud eos his malis mederetur, hāc Epistolam ex vinculis Romæ scripsit.

ARGVMENTVM.

Approbat Apostolus tota hac Epistola hanc solam doctrinam, quam acceperant ab Epaphra, & nunc adhuc sinceriter profitebātur ministro Archippo, ac præter hanc doctrinam non esse necessarias alias res ad salutem consequēdam, siue ex lege Mosaica, siue ex speculationibus Philosophicis, quòd sola niterentur probabilitate sermonis. In hac igitur do-

ctrina suadet illis esse perdurãdum addita saltem vitæ innocentia.

PROPOSITIO.

Hinc facilè colligi potest principalis sententia: Nimirum Colossenses in doctrina Epaphræ constantes manere debent, in eadémque in dies magis magísque crescere, exuendo veterem hominem, & induẽdo nouum, quo professionem fidei vita & moribus ornent in Iesu Christo.

GENVS.

Quemadmodũ in aliis omnibus magnam habet similitudinem cum Epistola ad Philippenses, sic quoque in genere compositionis. Principale est Protrepticum, vult enim eos con firmare in recepta doctrina. Accedunt deinde varia, vt Eucharisticum quo Deo pro ipsis agit gratias. Didacticum, fide scil. in Christum nos fore iustos, modò accedat vitæ inno-

centia, nec alia re opus esse. Sic accedit Ψεκτικὸν, quo damnat Pithanologiam, probabilitatẽ philosophicam, & simul Mosaicas ceremonias, imprimis circũcisionem. Epæneticum, quo continentur laudes Colossensium, Epaphræ vt boni doctoris, Tychici, Onesimi, & similium. Νουθετικὸν quo singulos ordines sui officii admonet, quò pertinet etiam quod ad finem Archippũ, qui, vt apparet, tum apud eos erat minister diligentiæ & officii commonefacit.

PARTES EPISTOLÆ.

Constat partibus verè sex, quas sic distinguimus, & connectimus. Initio titulus est constans consuetis partibus. Secũdo loco sequitur exordium ver. 3. quod est compositum ad beneuolentiam. Congratulatur autem ipsis ob receptã veritatis co-

gnitionem,ac cōſtat propſitione, & confirmatione, quemadmodum illud ad Philippenſes. Rationes propoſitionis nituntur triplici argumento. Primùm ſinceritate fidei. Deinde feruore dilectionis: & tertiò autoritate doctoris Epaphræ,

Tertia pars conſtituatur verſu 13. capitis primi, quę eſt propoſitio principalis, ſeu Theſis verę doctrinæ, quę ſcil. ad ſalutem conſequendā ſola ſufficiat. In hac parte diſſerit de beneficiis Chriſti, vt cōſtet in huius ſanguine ſolo nobis repoſitā eſſe ſalutem.

Quarta pars cōſtituatur initio ca. 2. quę habet formā cōfutationis. Nam dānat reliquas doctrinas omnes, præter hanc vnicā, quam illi ab Epaphra didicerāt, adeóque docet intolerabiles eſſe reliquas omnes, ſiue ex Moſe ſiue ex Philoſophia proferantur. Itaque vt meræ ſutelæ cauendæ ſunt.

Pars 5. constituatur initio tertii capitis, quæ habet cohortationem ad officia renati hominis, ac eleganter primitus in genere disputat, qui mores deceant omnes, mox ad speciem descendit, præscribens omnibus ordinibus sua specialia decora. Atque ea tractatio durat vsque ad ver. 7. capitis 4. Itaque sexta pars statuatur eodem ver. quæ habet Epilogum de rebus priuatis. Continentur in hac parte laudes Tychici & Onesimi. Secundo loco sequuntur salutationes & resalutationes. Tertio loco speciale pręceptum de hac epistola, quæ etiam legenda est in Ecclesia Laodicensi, vnde satis apparet vicinas fuisse vrbes.

Quarto loco sequitur speciale præceptum. Quinto loco mētione suorum vinculorum totam claudit Epistolam.

Thessalia regio, quae non longe abest à Macedonia antea Myrmidonum civitas vocitata fuit, quam acer belli iuvenis, nomine Thessaly, natione Thesprotius, cum magna civium manu occupavit. v. Velleij p. 3. c.

DISPOSITIO EPISTOLÆ ad Thessalonicenses.

Qui fuerint Thessalonicenses.

THessalonica olim Macedoniæ celeberrima fuit ciuitas, de qua vide Plinium libro 4. cap. 10. Melam lib. 2. cap. 3. Strabo testatur suo adhuc seculo admodum fuisse florentem, cuius hæc sunt verba libro 7. ἣ νῦν μάλιστα τῶν ἄλλων εὐανδρεῖ, hoc est, quæ adhuc præ aliis vrbibus robore & fortitudine ciuium floret. Populosam fuisse satis indicat ipse situs & maris commoditas. Nam habuit à Meridie mare amplissimum, in cuius recessu & amplissimo sinu condita fuit. A Septẽtrione & Ortu Chabris fluuius illam muniuit, qui per regionem

nem Amphaxiten ad Ortum sese in hunc sinum exonerat. Ab Occasu est fluuius Echedorus, nec procul inde distat Berrœa, ad radices montis Citharij posita, quò sese Apostolus recepit seditione suborta Thessalonicæ, vnde mox Athenas profectus, & ad eos rescripsit hanc epistolam. Act. 17. 10.
Olim dicta fuit Therma, vnde sinus ille maris Thermaicus dictus est, vt est apud Herodot. lib. 7. cuius verba Latinè sic reddi possunt. Therma, est quæ in Termaico sinu constructa vi situr, vnde sinus nomen etiam acquisiuit: Vbi Xerxes pedestrem exercitum ab Achanto traductum nauticas copias expectare iussit. Mutati nominis hæc videtur ratio. Philippus Amyntæ filius in his locis memorabili prælio Thessalos vicerat, in cuius rei memoriam vicinam vrbem Thermam appellauit Thessalonicam. Po-

ſtea Caſſander hanc ipſam vrbē exornauit, & nomen recens ab euētu impoſitum in gratiam ſuæ vxoris Theſſalonices, quę & ipſa filia regis Philippi erat, cōfirmauit: ita nomen vetus Therma antiquatum eſt, & ſolùm manſit ſinui, vnde paſſim apud autores Thermaicus adhuc dicitur. Hæc illa eſt Theſſalonica, in qua Theodoſius Imperator in ſeditioſos quoſdam grauiter animaduertit, ob quod factum Imperator poſtea Mediolani ab Ambroſio fuit excommunicatus nouo in Imperatores, exemplo. Circa hanc ipſam poſtea infeliciter pugnauit Conſtantius Imperator contra Sarracenos, inſomnij cuiuſdam ſiniſtra interpretatione motus. Viſus erat ſibi Imperator per quietem Theſſalonicæ eſſe, mox excitatus ſpem de victoria concepit, & re cum ducibus communicata iuſſit con

confligere. Verùm quidam ex ducibus ſolerter admonuit Imperatorem, inſomnium non ſibi portendere victoriam, ſed hoſtibus, ex interpretatione nominis argumento ſumpto, θὲς ἄλλῳ τὴν νίκην. Quod cum Imperator non admitteret, commiſſo prælio Sarracenis inuitus victoriam cōceſſit. Porrò ad hos quomodo venerit Apoſtolus & quanta diligentia inſtituerit, vide Actorum 17.

Hodie Salonica est sub misera servitute turcica. Aliquandiu Venetis paruit, quibus tradita fuit ab Andronico. De qua vide Laonicum lib. 3.

OCCASIO.

Oblata eſt occaſio, quemadmodum colligi poteſt ex 2. & 3. capitibus huius Epiſtolæ: item Actorum 17. vbi refertur quòd eos inſtituerit feliciter in vera fide, diſputando & diſſerendo per tria ſabbata in illorum cœtibus. Sed mox tumultu per Iudæos concitato coactus eſt cedere. Itaque contulit ſe in vicinam Berrœam, hinc Athenas, & ex

via remiſit ad eos Timotheum, qui eos & confirmaret in fide, & ad Apoſtolum omnem ſtatum referret. Quo Athenas ad Apoſtolum reuerſo, intellexit ſummã illorum conſtantiam, vnde motus hanc ad eos mox ſcripſit Epiſtolam, eo fine vt in hac ipſa conſtantia eos confirmaret, & quædam inſuper vitia apud eos corrigeret.

GENVS.

Genus principale eſt Protrepticum, vult enim bene currentes confirmare in propoſito, hoc vt obtineat alia multa admiſcet: vt Epæneticum, quo vtitur cap. primo, laudans eos ab anteactis, & præcipuis Dei donis: & cap. ſecundo ſuas recenſet non obſcurè laudes, & boni doctoris virtutes, ſic laudata virtus indubiè apud eos creuit. Habet etiam Paræneticum, quo hortatur eos ad officiũ renati

nati hominis, vt dignè Deo ambulent, vt ipse loquitur. Accedit etiam ἐπαγγελτικὸν, quo promittit suum aduentum. Didacticum, quo instruit quid in dubiis quæstionibus sit sequendum, vt in quæstione de luctu pro mortuis, de aduentu Domini, de eius momento & similibus, in quibus partim corrigit id quod erat vitiosum, partim instruit quid sit tenendum.

PROPOSITIO.

Præcipuam sententiam Epistolæ comprehendimus hoc argumento. Thessalonicenses in ea doctrina, quę eos reddit certos de vita æterna, debent manere constantes. Sed Euangelium quod ab ipso Paulo didicerunt, hoc solum reddit eos certos de vita æterna: ergo in hac ipsa doctrina debent manere constantes.

PARTES EPISTOLÆ.

1. Partes instituimus quinque. Prima est consuetus titulus.

2. Altera, est Exordium, cuius initium est ver. 2. ac constat propositione & ratione. Propositio est, se indesinẽter pro Thessalonicẽsibus Deo agere gratias. Ratio eius triplici consistit argumento, integritate fidei, dilectionis feruore, & crucis tolerantia, vnde constat Exordium facere ad beneuolentiam.

3. Tertia pars statuatur ver. 4. & est Narratio. Habet enim præteritarum rerum commemorationem, scilicet, qua fortuna acceperint Euanlium, quantis calamitatibus in recepto perdurent hactenus, & quanta diligẽtia hoc apud eos Apostolus propagarit. Porro narratio constat aliquot locis. Primus est de laudibus Thessalonicensium, ac constat pro-

positione

positione & rationibus vsque ad finem primi capitis.

Secundo capite ingreditur secundum locum narrationis de sua in docendo diligentia, ac commemorat summo candore & constantia eum docuisse, quē locum tractat, primùm remotione vitiorum, vt quòd sine dolo docuerit, non ad gratiam, sine adulatione, non auarè, non ambitiosè, sine stipendio, hæc remouet. Deinde opponit his virtutes boni doctoris, quòd summa humilitate, summa erga eos dilectione, gratis & victitando propriis laboribus in maximis periculis & summa vitæ innocētia. Istis commodè annectit propositionem totius suæ doctrinæ, vt dignē Deo ambulent. Reliqua deinceps à versu 13. habēt συμπέρασμα vtriusque loci de ipsorum & suis laudibus, vsque ad ver. 17. vbi sequitur tertius lo

cus narrationis, de ſuo deſiderio ad eos redeundi, & quibus cauſis hactenus ſit impeditus. Initio capitis tertij ſtatuatur quartus locus narrationis. Nam oſtendit rationes miſſi ad eos Timothei, in quo argumẽto perdurat vſque ad verſum 6. vbi ſtatuatur quintus locus narrationis, explicans occaſionem ſcriptæ epiſtolæ vſque ad verſum 10. vbi ſtatuatur ſextus locus narrationis, repetens promiſſionem ſui aduentus. Hactenus narratio. Initio ergo cap. 4. quarta ſtatuatur pars Epiſtolæ, continens exhortationem ad mores renati hominis, ideo corrigit initio quædã vitia, quæ apud eos adhuc regnabant, qualis erat ſcortatio, fraus in contractibus, otium iners, curioſitas in quæſtionibus non neceſſariis, immodicus luctus pro mortuis, curioſitas in inquirendo horam aduẽtus Domini. Con

trà

trà hortatur ad virtutes, dilectionē, pacem, vigilantiam, & similes renati hominis proprietates: durant hæc vsque ad ver. 23. quinti capitis. Ibi statuatur quinta & vltima pars, Epilogus, qui constat comprecatione, postulatione, salutationibus, pręcepto speciali de hac epistola, & cōclusione consueta.

DISPOSITIO POSTERIORIS Epistolæ ad Thessalonicenses.

Qui fuerint Thessalonicenses.

THessalonica Therma dicta, & vt refert Stephanus Halia quoque, metropolis totius Macedoniæ, & in ora maritima loco admo-

dum opportuno condita fuit, quemadmodum retulimus suprà, & ipsæ quoque tabulæ Græciæ luculenter declarant. Itaque ad occasionẽ scriptæ epiſtolæ deueniamus.

OCCASIO.

Occaſio petenda eſt ex priori epiſtola, nominatim 2. 3. 4. & 5. capitibus. Nam capite ſecundo, verſu 17. promiſerat ſuum aduentum: & cap. tertio, ver. 10. cauſam eius ſubindicauerat, quòd nimirum vellet ſupplere apud eos quædam quæ fidei ipſorum deeſſent, ex quo colligi poteſt Apoſtolum quædam tum nõ ſcripſiſſe, quæ data opera in aduentum ſuum differebat. Capite verò 4. & 5. diſſeruerat de Domini Chriſti aduẽtu, ſéque his connumerauerat, quos Chriſtus in hac vita eſſet deprehenſurus, ex quo ſtatim fluxit ſiniſtra quædã apud imperitos opinio, Chriſtum

ſtum nimirum venturũ ad iudicium iſto ſeculo, quo adhuc viuebat Apoſtolus. Parciùs quoque diſſeruerat contra otioſos, & curioſarum quæſtionum amatores, qualis erat illa de aduentu Domini, qui vt tuerẽtur otiũ aſſerebant parum referre laborarent nec ne, fine rerum iam imminente, & ad hanc ſententiam tuendam Apoſtoli autoritate abutebãtur. Quare vt hanc abſurdam ſententiam refelleret, hanc ſecundam ſcripſit epiſtolam. Præterea, ne viderentur à ſe negligi, cùm videret perpetuò occaſiones veniẽdi ſibi eripi, & vt ſententiam de aduentu Chriſti pleniùs explicaret, & otioſos diligentiùs cauendos doceret.

GENVS.

Genus epiſtolæ principale eſt Protrepticum, hortatur enim ad conſtantiam ſub cruce, & defenſionem ſuæ

doctrinæ, & traditionum Apoſtolicarum verarum, non quæ falſò illis obtrudebantur. Accedunt poſtea Epæneticum, vt quod initio laudat ipſorum virtutes, fidem, dilectionem, conſtantiam, vt laudando tales efficiat quales eſſe vult. Paramyticum, quo locum de cruce totum ad conſolationem ſanctorum accommodat,
3 ſimul locũ de iuſtitia diuina eodem ſcopo attingit capite 1. Didacticum,
4 quo locum de ſecũdo aduentu Domini illuſtrat, monétque eos ne decipiantur ab otioſis erronibus, ſcrupuloſè inquirentibus in momẽta illius aduentus. Paræneticum, vt in veris Apoſtolicis traditionibus maneant, quod Apoſtolo eſt generoſè ſtare. Sic ἐπευκτικον accedit in Epilogo, quo eis comprecatur gratiam & pacem Domini.

PROPOSITIO.

Propoſitio totius epiſtolæ eſt, Conſtantia ſanctorum non ſolùm ad crucis tolerantiam pertinet, ſed etiam ad opinionũ veritatem, & traditionum quæ verè ſunt Apoſtolicæ conſeruationem, cõtra quaſcunque corruptelas, quæ vel nomine reuelationũ, vel ſpirituum, vel etiam autoritate Apoſtolica ſanctis falſò obtrudi poſſunt.

PARTES EPIſtolæ.

Partes Epiſtolæ hoc pacto explicamus. Primùm ponitur titulus conſueto more. Secundo loco ſubiicitur Exordium, quod ſpectat ad laudem perſonæ, ideóque accommodatum eſt ad beneuolentiam captandam, ac cõſtat propoſitione & ratione, continuatur vſque ad verſum 5. Iſtic ergo ſtatuatur tertia pars, quæ continet

doctrinā, de quæstionibus scitu necessariis, & quæ partim apud eos falsa interpretatione erant corruptæ. Ac cōmodè distingui potest in quatuor principales quæstiones, quarum prima est de vsu crucis, cur nimirū Dominus suos affligat in hac terra. Rationes conquirit à personis, tum sanctorum, tum impiorum, tum ipsius Dei, ideò cōcurrit locus de æquitate, & iustitia iudiciorum diuinorum.

Capite secundo ingreditur secundum locum doctrinæ, de aduētu Domini, vt doceat illū certò certiorem esse, quamuis momēta eius sint incerta, hoc vt doceat ostendit quid ante hunc aduentum oporteat priùs compleri, nimirum reuelationem Antichristi, qui in templo Dei pro Deo mundo se adorandum propositurus sit. Producuntur hæc vsque ad ver. 16. vbi sequitur Epilogus præcedētis

lo ci

loci, & cõmodè annectitur generalis propoſitio, In veris Apoſtolicis traditionibus illis perdurandum eſſe.

Capite tertio ingreditur tertium locum, quòd ſcilicet pro ſucceſſu Euangelii, & eiuſdem propagatoribus diligenter ſit orãdum. Verſu 6. quartum ingreditur locum cõtra otioſos, quos grauiter coërcendos monet, & omnino vult hanc valere regulam, qui non laborat non manducet, vt hæc ſit Apoſtoli ſentẽtia, piis ſemper curandum eſſe vt honeſtis laboribus ſe alant, quaſi in æternum victuri, & contrà ad aduẽtum Domini ſemper debent eſſe parati, quaſi iam iam morituri. Durant hæc vſque ad verſ. 16. Quarta igitur pars iſtic ſtatuatur, ac habet breuem Epilogum, qui cõſtat cõprecatione, ſalutatione, & repepetita comprecatione, quæ eſt quaſi clauſula finalis.

DISPOSITIO priorıs Epiſtolæ ad Timotheum.

Timotheus patria fuit, vt ferunt, Lycaonius, natus parẽtibus imparibus. Nã Act. 16. matre Iudæa, patre verò Græco progenitus dicitur. Vnde in prima infantia quoque circuncisus non eſt. Infra in 2. Epiſtola cap,1. maternum genus diffuſiùs declaratur. Nominat enim Apoſtolus illic matrem Eunicam, auiam verò Loidem, matronas admodum pias & Chriſtianas à quibus in ſacris literis & Chriſtiana religione à puero educatus fuit. Nam infra in 2. Epiſtola, capite 3. à puero nouiſſe ſacras literas ſcibitur, & capite primo eiuſdem, fidem auiæ & matris in ipſo quoque

habitare

habitare. Itaque incircūcisus quanuis fuerit: maturè tamen Christum agnouit, quæ professio illum adultū nunc poterat liberare à circūcisione, nisi certo Spiritus Sancti consilio, ad certam ecclesiæ vtilitatē Apostolus circumcidisset, id quod D. Lucas exprimit in Actis 16. Præceptorē habuit præter matrem & auiam Apostolū Paulum, vnde in hac Epistola, & aliis locis filius appellatur. Et quia fidum in professione Christiana deprehendit, fermè peregrinationum suarum comitem habuit, aut saltem ipso prępedito, vt legato ad diuersas Ecclesias est vsus, adeò vt & ipse Apostoli munere videatur functus. Comes fuit in Actis 16. & 20. Legatione verò fungitur à Paulo missus, Act. 19. vbi cum Erasto in Macedoniam mittitur. Ad Corinthios quoque missus est, vt constat ex prima Epistola cap. 4. Et

Præceptores.

ad Philippēſes quoque miſſus eſt, vt res ipſorũ inſpiceret, vt eſt cap.2. Et ad Theſſalonicēſes, vt in fide eos confirmaret, vt eſt in 1. ad Theſſalonicenſes, cap.3. Et hic Epheſi relictus, tanquã Epiſcopus, vt doctoribus legis ſeſe opponeret, de quo vide Euſeb. li. 3. cap.4. & Nicep. lib.15. cap.14. Hinc factum eſt vt Apoſt. Paulus in certis quibuſdã ſcribendis epiſtolis ipſũ ſibi coniungat, vt eſt videre in vtraque ad Theſſalonicenſes, ad Philippēſes, ad Coloſſenſes, & in 2. ad Cor. Per cętera magna illius laus eſt quoties eius incidit mentio, vt in 1. ad Theſſalonicenſes, cap.3, fratrem ſuum & Diaconum Dei vocat. Item συνεργὸν in Euangelio. Ad Philippenſes capite 2. ἰσόψυχον. In prima ad Corinth. capite 4. filium dilectum & fidelē in Domino. Ad Romanos 16. capite quoque agnoſcit συνεργὸν. In 1. ad Corinthios

thios 16. capite, Opus Dei operatur vt ego. Ex quibus vtcunque colligi poteſt de vita tota. De morte eius nihil certò colligi poteſt, quanuis ſint qui martyrio coronatū dicant. Hieronymus Tomo tertio aduerſus Vigilantiū, refert oſſa illius cum reliquiis Andreæ & Lucæ Cōſtantinopolim eſſe tranſlata ab Imperatore Cōſtantino, quod etiam habet Nicephorus lib. 10. cap. 11.

OCCASIO.

Occaſio colligi debet ex primo capite huius Epiſtolæ, & ex 20. Actor. Nam Apoſtolus Paulus profecturus in Macedoniam eum reliquit Epheſi vt ſcilicet ibi ſubſiſtēs reſiſteret Nomodidaſcalis, id eſt, legis doctoribus, aliiſque corruptoribus ſanæ doctrinæ. Nam Satanas paſſim ſynceritati fidei inſidiabatur per ceremonias Moſaicas, & Philoſophica deliria. Sic

Galatæ ſemi Iudæi facti erant, & Corinthii more Ethnico impunè ferebant quæuis vitia. Similes corruptelas metuebat Apoſtolus in Epheſina Eccleſia, ideò vt his poneret obicem, hunc apud eos reliquerat ſanæ doctrinæ impigrum defenſorem. Deinde in illa Eccleſia nondum erat conſtitutus numerus miniſtrorum in docendo Euangelio neceſſarius, quos quidem nemo rectiùs conſtituere poterat, quàm is qui eligendi authoritatem diuinitus accepiſſet, quales tum erāt Apoſtoli, & inter eos Paulus, qui dum in Macedoniā auocaretur, hāc curā huic demādauit, atque ob id in electione quid debeat ſpectare imprimis monet, ne cuiuis manus citò imponat, & in imponēdo diligēter mōſtrat qui admittēdi, aut repudiandi ſint. Ex quo etiā hoc conſequitur, ſpectaſſe Apoſtolum vt haberet tota

poſteri

poſteritas ideam gubernationis eccle ſiaſticæ, & totius miniſterij, quā deinceps tanquam regulam omnes ſequerentur.

PROPOSITIO.

Argumentum in hanc ſententiam contrahimus. Timotheo ſumma cura annitendum eſt vt eccleſia Epheſina quàm rectiſſimè omnia adminiſtret, tum in tuēda ſana doctrina contra quaſuis corruptelas, tum in ordinandis miniſtris eccleſiarum, tum in exequendo officio, docendo, admonendo opportunè, omniū ordinum & ætatum homines. Hinc ſtatuatur Theſis, ſeu generalis propoſitio. Omnes qui eccleſiis præeſſe vtiliter volent ad exemplum Timothei, & ad præſcriptum D. Pauli, iſta quàm diligentiſſimè curare debent.

GENVS.

Genus principale eſt Νουθετικόν.

Nam admonet de rebus ſcitu neceſ-ſariis, de quibus ore tenus indubiè cum illo egerat, ideò abſens eadem breuiter in memoriam reuocat, vt de conſeruanda ſana doctrina, de retinenda εὐταξία, de officiis omniū ordinum. Huic accedūt Protrepticum: ſæpe enim ad exhortationes digreditur. Didacticum, quo docet, & ſuum patefacit conſilium, monſtrátque ſequenda. Epæneticū, quo perſonam Timothei laudat. Ψεκτικὸν, quo inuehitur in corruptores ſanæ doctrinæ. ἐπαγγελτικὸν, quo prædicit euentura, & quodammodo Prophetę officio fungitur, vt capite quarto.

PARTES EPI-piſtolæ

Partes tres conſtituimus. Ac prima tribuatur titulo. Secunda inſtructioni. Nam ſtatim exorditur ver. 3. à re ipſa, oſtendens finem ſui conſilij,

cur

cur nimirum sit relictus Ephesi. scil. vt sanam doctrinam diligenter tueretur, ideo locus est prolixus de syncera doctrina defendenda. Et quia corruptores illius erant Iudæi, ideò addit opportunè locum de vero vsu legis, quam illi sinistrè commiscebāt Euangelio. Hic locus tractatur à versu 8, vsque ad 11. à quo & deinceps tractat locum de sua vocatione, vsque ad 18, vbi redit ad commendationem suæ doctrinæ.

Capite secundo, secundus instructionis sequitur locus, de publicis precibus instituendis, cui addit locū de conseruando decoro in cœtibus, nominatim ab ipsis mulieribus, quæ videbantur Ethnicorū more parum verecundè conuenire, adeò vt præsumerent etiam docere. Hoc ergo diligenter cauendum admonet.

Capite tertio, tertius est instructi-

onis locus, quid in eligẽdis ministris sequendum sit. Ac primùm describit ideam boni ministri, vt constet qui admittẽdi, aut submouendi sint. Deinde de Diaconis agit. Tertiò, de ministrorum & diaconorum vxoribus & familia. Quartò, de alio genere diaconorũ, quod præerat eleemosynis. Quintò, subnectitur omnium generalis conclusio.

Capite quarto, quartus est instructionis locus, de seductoribus cauendis omnium ætatum. Quos primitus describit à doctrina & professione, item genere vitæ. Secundò, agit de disciplina. Tertiò, de ætate iuuenili, quę in ministro certis quibusdam dotibus excusari potest.

Capite quinto, quintus est instructionis locus, qualis scilicet esse debeat erga quosuis homines in admonendo, Ac primùm in sexu virili differentem

ferentem ætatem notat. Deinde prolixiùs agit de viduis, quas distinguit ab ętate, in eas quę prouectiores sunt & in eas quæ adhuc iuuenculæ, vt in singulis decorum meliùs obseruari possit. Tertiò, de presbyteris. Quartò de manuum impositione. Quintò, quædam priuata ad personam Timothei spectantia. Sextò, generalis sequitur Epilogus, cõtinens distinctionem peccatorum, & similiter bonorum operum.

Capite 6. persequitur quintum locum, & differit de seruis quomodo hi admonẽdi sint sui officij. Secundò agit de schismaticis, quomodo deprehendi possint & sint admonendi. Tertiò, agit de Christiana rerum sufficientia, quam αὐταρκειαν nominare possumus. Quartò, contra auaritiam. Quintò, iterum ad personalia descendit & priuatim cum Timo-

theo agit. Sextò, redit ad locum de auaritia, & ostendit quomodo diuites admonendi sint sui officii. Atq; hactenus à versu 3. capitis 1. est perpetua instructio, vsque ad versũ 20. cap. 6. Vbi constituatur Epilogus totius Epistolæ, adeóque tertia pars. Ac primitus repetitur admonitio, de tuẽda sana doctrina, & cõtrariis corruptelis omnibus vitandis. Deinde breui clausula & sibi consueta totam Epistolam concludit.

COMPOSITIO POSTErioris Epistolæ ad Timotheum.

OCCASIO.

OCcasio secundæ Epistolæ cõmodè sumi potest ex ipso exordio, ex quo constat quod Timotheus Apostolum Paulum in vltimo digressu dimiserit multis lachrymis. Hunc dolorem in discipulo vt leniret, promisit illi in priori epistola cap. 3. versu 14. suum reditum. Interea vt res humanæ incertæ sunt, Apostolus in vincula coniectus est, & captiuus Romam pertractus. Et res ita procedunt, vt tantum absit se redire posse Ephesum, vt potius præsentissima mors illi in dies sit expectanda, sicuti

patet infra 4.cap. Itaque & fidem liberare voluit apud Timotheum, & dolorem lenire, & ipſum contra ad ſe Romam euocare certo cōſilio, vt ſcil. ipſum contra molē perſequutionum confirmaret, & de tota cauſa religionis vberiùs cum illo conferret. Et in caſum ſi fortaſſe planè non veniret, aut ſeriùs, iam ipſo mortuo haberet tamen præceptoris ſentētiam, quam in omnibus ſequeretur. His de cauſis motus, indubiè hanc ſecundam ſcripſit.

GENVS.

Genus vt in aliis mixtum eſt, principale tamen eſt προτρεπτικὸν, ſcil. vt in ſuſcepta profeſſione contra omnē crucis molem perduret cōſtanter. Accedunt poſtea alia. Διδακτικὸν, quo docet vocationem ad fidē ſola niti gratia Dei: itē quid in aliis ſequendū illi ſit. Ἐπαινετικὸν, quo laudat Timotheū à vir-

à virtutibus minime fictis. Ψεκτικὸν, quo inuehitur in apertos Christi hostes, qualis erat ille Alexander faber ærarius, & alij nõnulli, quorum nomina supprimit. Ἐπαγγελτικόν, quo iterum prophetæ munere fungitur, & oracula reddit de statu nouissimorum temporũ, vt capite tertio patet.

PROPOSITIO.

Propositio sumatur ex versu 6. capitis primi. Timotheo curandum est, vt dono sibi cœlitus collato fortiter & constanter vtatur. Donum vocat, quicquid pertinet ad officium ministerij ritè obeundum, quæ omnia cadunt in hæc duo membra. In constantiam sub cruce, quæ vtique donum Dei est, & in curam sanæ doctrinæ defendendæ & propagãdæ. Idcirco in consequẽtibus Apostolus ad hęc duo membra confirmationem accommodabit.

PARTES EPISTOLÆ

Partes epiſtolæ manifeſtiùs poſſunt deprehẽdi in hac quàm in aliis nonnullis. Conſtituamus ergo ſeptem illius membra. Prima pars habet conſuetum titulum. Secunda à verſu 3. habet exordium, quod prorſus ad beneuolentiam ſpectat. Nam rerũ anteactarum cõmemoratio mirificam habet amoris ſignificationem. Tertia pars conſtituatur verſu 6. ac continet propoſitionẽ generalem. Debes donum Dei auctius in dies in te magis magíſque reddere. Quarta pars verſu 7. tribuatur confirmationi. Quæ primitus accommodatur ad tolerãtiam præſtandam ſub cruce. Ac continuatur vſque ad finem 1. capitis. Initio ergo ſecundi capitis applicatur confirmatio ad alteram partem de ſana doctrina & defendenda & propagãda. Durãtque hæc pars confirmationis

vſque

vſque ad verſum 14. eiuſdem capitis. Iſtic ergo ſtatuatur quinta pars, quæ habet digreſſionẽ in ea vitia, quę ſanã doctrinã vt plurimum euertunt. Ac commodè diſtinguuntur in duos ordines. Alia enim in ipſis doctoribus vtplurimum reſidẽt, qualia ſunt λογομαχία, κενοφωνία, νεωτερικὴ ἐπιθυμία, & μωραὶ καὶ ἀπαίδευτοι ζητήσεις. Atque de his agit vſque ad finem illius capitis. Tertio ergo capite ab initio alterum genus vitiorum perſequitur, quod & ipſum euertit ſanam doctrinam, ſed magis commune eſt doctoribus cum auditoribus, qualia multa refert ab initio tertij capitis. Tractantur hæc vſque ad ver. 10. Sexta ergo pars ſtatuatur ver. 10. & eſt Epanodus ad cœptam exhortationem, ideò repetit, ſeruato etiã ordine, principales duos locos, ſcilicet conſtantiam ſub cruce, & mox ver. 14. alte-

rum de ſana doctrina & defendenda & propaganda. Vterque principio quarti capitis cõmoda illatione concluditur ſuaui adhibita tractatione. Nam initio adhibita eſt grauis obteſtatio. Deinde ver 2. ipſa propoſitio. Tertio ver. additur ἀποπολογία .Quinto illatio.Sexto,& aliquot cõſequentibus verſibus noua argumentatio à ſuo exemplo. Verſu 9. ſtatuatur ſeptima & vltima pars, Epilogus, cõtinens res priuatas, ac primùm aduentũ eius eſſe accelerãdum, quando pręter mortẽ nihil ampliùs ſperare poteſt. Deinde admonet quibus rebus inſtructus venire debeat, Marco comite, aſſumpta etiam penula, libris, & aliis nonnullis. Tertiò, querelas inſtituit, de duplici hoſtium genere. Primi ſunt aperti, pro quibus etiam non orat, ſed potius cauendos dicit. Poſterius genus ex fidelibus debilibus

eſt

est, ideò pro his etiam orat. Quarto loco sequũtur salutationes, quibus interposita est ἐπεμβολὴ de Erasto, Trophimo, aliísque, & iterum monet de suo aduentu. Quinto loco gemina comprecatione epistolam totam concludit.

DISPOSITIO EPIstolæ ad Titum.

Quis fuerit Titus.

TItus genere fuit Græcus adeóq; parẽtibus Ethnicis natus. Nam in epistola ad Galat. 2. proditũ est illum incircũcisum fuisse & mãsisse, quod sanè ortũ sapit Ethnicum. Et mirum est cur manserit incircuncisus, cum tamen Timotheum circũciderit idem Paulus. Sed Apostolus reddit rationẽ

vt libertatem Christianam defenderet hoc exemplo contra Iudæos, qui circuncisionem necessariam homini Christiano putabant. Præceptorem habuit Apostolum Paulum, cuius etiam fuit in multis peregrinationibus comes, aliàs ab eodẽ missus est ad diuersas ecclesias, tãquam legatus Christi. Sic ad Corinthios missus est ad colligendas eleemosynas pro pauperibus qui erant in Iudæa, vt est in 2. ad Cor. cap. 8. ver. 6. & 16. Ex quibus constat eum Apostolo fuisse charissimum, quò facit etiam quod passim illius facit honorificam mentionem, vt in 2. ad Corinthios cap. 2. ver. 12. fratrem vocat, & 8. capite ver. 23. eiusdẽ Epistolæ κοινωνὸν & συνεργὸν. In præsenti epistola filium. In 2. ad Corint. cap. 7. ver. 6. dicit se singularem consolationem accepisse ex reditu Titi. In 2. ad Timo. cap. 4. ver. 10. scribit illum

lum abiuiſſe in Dalmatiam, quod intelligo miſſum docendi cauſa ab Apoſtolo. Et in hac epiſtola ſcribitur quòd in Creta ſit relictus, nõ ſolùm ad docendum, ſed etiam ad cõſtituendum alios miniſtros. Fuit autem ampliſſima tum inſula, vt quæ centum habitata ſit vrbibus, in quibus indubiè paſſim docendum fuit. Hieronymus author eſt, nõ ſolùm in hac, ſed & in vicinis quoque eum docuiſſe, in Creta verò mortuum & ſepultum eſſe.

OCCASIO.

Occaſio ſcriptæ epiſtolæ ſumatur ex ipſo exordio. Nam ſignificat ibi in Creta illum hoc conſilio relictum, vt oppidatim conſtitueret miniſtros, & docẽdo populi corrigeret mores, Erat autẽ iuuenis adhuc Titus, ideò Apoſtolus abſens, ne quid temere ageret, hac epiſtola inſtruit, nomina-

tim quales admittendi essent ad ministerium, & quales remouendi. Item qua prudentia & lenitate mores auditorum corrigere debeat. Deinde nota erat Apostolo Paulo Cretẽsium vanitas, & in moribus corruptela. Ideò statim primo cap. ex veteri poëta illos describit, cùm appellat mendaces, malas bestias, pigros ventres. Ob id ne quid remissius apud eos ageret Titus, admonendus erat. Prętereà oberrabant in ea insula Iudæi acerrimi legis patroni, quibus ne Titus cederet in defendenda sana doctrina, diligenter fuit admonendus.

ARGVMENTVM.

Instruit ergo discipulũ quales sint admittendi ad ministerium verbi, tales nimirum solùm, quos morum integritas, & studiũ sanæ doctrinæ defendendæ & propagãdæ commendaret. Ideo eius rei virtutes commemorat,

morat, quales supra in epistola ad Timotheum capite tertio. Deinde in ipso Tito requirit summam prudētiam in corrigendis peccatoribus, habita ætatis, sexus, conditionis ratione, vt hoc modo ad vitæ emendationem hortetur. Omnino enim necessarium est, vt pij professionem suam innocentia vitæ ornent, ideo auditores etiam in genere omnes monet, vt memores prioris conditionis agnoscant gratiam Dei, & ideo promptiùs emendent vitia, in quibus hactenus vixerunt. Nec solùm illa quæ sunt in moribus externis, sed etiam quę sunt ingenij, vt est ardor disputandi de variis quæstionibus, studium genealogiarū, & in similibus rebus curiositas, quæ omnia prohibet Apostolus, tanquā certissimā pestē sanę doctrinæ. Ad vltimum monet etiam de hæreticis corripiēdis, & si ita perdurent vi-

tandis. Demum rebus priuatis episto lam concludit.

GENVS.

Genus principale est Νουθετικόν. Admonet enim quid præcipuè in eligẽdis ministris, & corripiendis auditorum moribus sequi debeat. Accedunt διδακτικὸν, quo docet qui sint idonei, item qua prudẽtia singuli sint admonẽdi, & quòd salus nostra con sistat nuda gratia Dei. παραινετικὸν, quo hortatur ad mores, vt respondeant professioni. Ψεκτικόν, quo inuehitur in vitia Cretensium, & malorum doctorum. Ἐπαινετικὸν, quo Titum vt bonum ministrum commendat & laudat.

PROPOSITIO.

Sententia propositionis est. Tito est curandũ, vt in eligẽdis idoneis ver bi ministris, & corrigẽdis auditorum moribus ad præscriptũ Apostoli o-

mnia quàm prudẽtissimè exequatur. Hinc deducatur generalis propositio seu thesis, quæ valeat in omni ministro.

PARTES EPISTOLÆ.

Partes in breui hac epistola constituimus quatuor. Et prima quidem titulus est, consuetis partibus compositus. Secunda, est exordium petitum ab ipsa propositione, ver. 5. Habet autem partes duas propositio: prior est Ἐπιδιόρθωσις, hoc est, facultas corrigendi hominum prauos mores, per doctrinam Euangelij, quod quomodo fieri debeat, suo loco dicet. Altera pars est κατάστασις, h. e. facultas eligendi & constituẽdi ministros idoneos aliis ecclesiis, qui sanã doctrinã & tueri & propagare vtiliter possint. De his duabus partibus agitur tota hac epistola. Tertia pars constituatur ver. 6. & est ecphrasis, hoc est, explicatio propositionis positæ, adeóque perpe

petua inſtructio, quid in vtroque membro ſequendum ſit. Porro quia duo propoſuerat ſibi explicanda ordinem commodè mutat. Ac primo loco agit de conſtituendis miniſtris, quorum virtutes toto cap. perſequitur. Initio capitis 2. ingreditur alteram partẽ propoſitionis, quam appellauimus ἐπιδιόρθωσιν, & docet qua prudentia à miniſtro idoneo corrigi poſſint mores in auditoribus, habita ſcil. ratione ætatis, ſexus, conditionis, & ſimiliũ. Orditur igitur à ſenibus. Deinde agit de matronis. Tertio loco de maritatis. Quarto de iuuenibus: & quia hãc rem imprimis iuuat doctoris exemplum, ideo quinto loco oſtendit quomodo ipſe Titus viuere debeat. Sexto loco agit de ſeruis Septimo digreditur in generalẽ θέσιν. Et octauo commoda concluſione locum hunc ſemel concludit. Initio ter

tij

tij capitis persequitur rē propositam, & in genere ostēdit quomodo subditis viuēdum sit erga magistratum. Scopus omniū est vt professio Christiana ipsis moribus ornetur. Ideo admonet de priori conditione, & salutis rationē solius esse gratię. Quarta pars statuatur 12. ver. tertij capitis & est breuis Epilogus. Eius mēbra, sunt. Primùm euocat Titū ad se Nico polim. Inde commēdat ei Zenam & Apollum. Tertiò, addūtur salutationes mutuæ. Quartò, consueta clausula & comprecatione claudit epistolam.

DSIPOSITIO EPIstolæ ad Philemonem.

Quis fuerit Philemon.

PHilemon noster Colossẽsis fuit, vt placet D. Hieronymo. Theophylactus Phrygium facit, nõ dissentiens à Hieronymi sententia. Nam suprà ostendimus Colossas Phrygiæ Pacatianæ fuisse Metropolim. Porro ex præsenti epistola colligi potest hominem fuisse diuitem, & inter suos cõciues magni nominis, cum domus eius priuata ecclesia fuerit celebris, in qua indubiè multi fuerunt peregrini in quos liberalis & hospitalis fuit, vt cõstat ex 7. ver. vbi declaratur quod consolatus sit pauperes, & viscera sanctorum refocillarit. Ad hunc igitur præsentem scripsit epistolã, tãquam

hominem

hominem notum, & iure hospitij familiarem.

OCCASIO.

Oblata est occasio. Nam seruus Onesimus compilatis quibusdã rebus, & cum his indubiè pecunia domini sui, profugerat, Romamque se contulerat. Quò cum peruenisset audiuit Paulum docentem Euãgelium, cuius doctrina mox in seruo fugitiuo fuit efficax, adeò vt conuersus ad fidẽ Apostolo seruiret in vinculis, qui dum intellexisset causam fugæ, iussit vt ad herum rediret, & vt facilius ei reconciliaretur, hanc tradidit epistolam.

GENVS.

Domino suadet vt in seruum fugitiuum præstet officium pietatis, pro seruo gratiam petens. Ideo petitorium & suasorium est, quorum vtrumque ad deliberatiuum pertinet, cuius finis est persuadere, officiũ verò, eorum nihil intermittere, quę ad

persuadendũ videntur facere. Huic accedit Epæneticum, quo Philemonem laudat.

PROPOSITIO.

Propositio est. Philemon condonato delicto Onesimum in gratiam debet recipere. ver. 10.

PARTES.

Breuis quidem est epistola: attamẽ partes ferè omnes attingit. Nam primùm titulus iustæ magnitudinis ex suis integris constitutus est partibus. Secũdo loco est exordium ver. 4. quod planè ad beneuolẽtiam spectat. Nam laudat personã Philemonis, & pro virtutibus eius Deo agit gratias. Continuatur vsque ad ver. 10. Tertio loco est Protasis, ver. 10. Debes Onesimum tanquam filium meum recipere in gratiam. Quarto loco sequitur ver. 11. forma confirmationis, suadens reconciliationem à spe futuræ

vtilitatis. Quinto loco est confutatio ver. 15. Nam istic diluit duo primaria crimina, quæ recõciliationi poterant obstare, furti scil. & fugæ, quorum vtrunque ita diluit, vt apud hominem Christianum & pium facilè sit habitura locum reconciliatio. Durat hoc membrum vsque ad ver. 21. Istic ergo statuatur sexta pars Epilogus, quo primitus breuiter repetit propositionem, & se excusat, cur in tali causa illi sit molestus scribendo. Deinde admonet illum de præparando sibi hospitio, significans recepto Onesimo, recipi quoque Apostolũ, quasi non sit venturus, nisi hoc priùs recõciliato. Tertiò, addũtur salutationes. Quartò, comprecatione clauditur epistola.

DISPOSITIO EPI-stolæ ad Hebræos.

Quis fuerit autor epistolæ ad Hebræos.

DE Epistola ad Hebræos triplex est hominum doctorũ iudicium: nõnulli neque Canonicá, neque Paulinam agnoscũt: alij Canonicam quidẽ, sed Pauli esse negant: tertij verò & Canonicam & Paulinam affirmant. Primi illi istis ferme ducti sunt rationibus, autoritate scil. Latinæ Ecclesiæ, quæ serò & vix tandem hanc admisit in canonem sacrarum literarum. Inde quod cap. 6. videatur Nouati dogma defendere lapsis negando veniam. Et denique quod Hieronymus, Augustinus, & alij sæpe dubitanter citent ex hac epistola testi-

testimonia. Sed his rationibus ab aliis iam sæpe satisfactum est. Secundæ opinionis ista ferme sunt argumenta. Primùm quòd in tota epistola nõ extet nomen Pauli, nominatim in titulo. Deinde genus scribendi, & styli proprietas multum videtur discrepare à Paulinis epistolis. Tertiò, quod capite 2. autor de se loquens videtur quasi de discipulo Apostolorum loqui. Et quarto afferunt ex Nicephoro lib. 4. cap. 34. de Caio veteri quodam scriptore, qui hãc Pauli esse negat. Cæterùm isti has rationes non vehementer vrgent, & cum tertiis facilè consentiunt, & canonicam esse, & ardore cum Paulinis congruere. Itaque breuiter perstringamus rationes eorum, qui & Paulinam, & Canonicam agnoscunt. Qui his ferme vtuntur argumentis. Primùm, quod materia cõsentiat cum articulis fidei,

adeóque cũ doctrina Christi & Pauli. Deinde quòd Græci cõmuni consensu maturè receperint, quod iudicium etiam confirmauit synodus Nicæna Tertiò Nicephorus lib. 4. cap. 33. de Clemente Alexãdrino scribens dicit hanc Paulo tribuisse, quibus addit Euseb. lib. 5. cap. 11. à Paulo scriptã esse Hebraicè, per Lucam verò trãslatam in Græcum sermonem, & quidem liberiori stylo. Quartò, Origenes in enarratione Psal. primi connumerat manifestè hanc Paulinis epistolis. Idem facit Niceph. lib. 5. cap. 16. & Euseb. lib. 6. cap. 18. Quintò Clemens ille Romanus, qui fuit à Petro quartus, hanc etiam Paulo tribuit, referente Hieronymo, quod etiã habet Nicephorus lib. 3. cap. 18. & Euseb. lib. 3. cap. 38. Sextò idem Nicephorus lib. 2. capite 46. contendit referendam esse inter Paulinas, quanuis sit versa, seu à

Luca, seu à Clemẽte Romano, quod posterius illi videtur vero similius. Septimò, Eusebius libro tertio cap. 26 non reponit inter suspectos libros noui Testamenti, sed cap. 3. eiusdem lib. 3. manifestò etiam hanc Paulo tribuit. Octauò, Irenæus vetustus scriptor, huius epistolæ testimoniis vtitur tanquam Paulinis. Nonò, Cyrillus etiam lib. 12. cap. 9. sui thesauri, plurima testimonia hinc desumpsit, tanquã ex epistola Pauli. Decimò, Chrysostomus quoque integris commentariis eam illustrauit tanquam Paulinam. Vndecimò, Dionysius ille Pauli discipulus hanc præceptori suo Paulo tribuit. Duodecimò, Augustinus in expositione epistolæ ad Romanos hanc vt Paulinã citat, reddita etiã causa cur nomen pauli omissum sit in inscriptione. Decimotertiò, D. Hieronymus vtut alibi dubitanter

de hac loquatur:tamen in epiſtola ad Dardanum manifeſtè hanc Paulo tribuit,vt inde facilè colligi poſſit quid de hac ſenſerit. Verba illius iſta ſunt: Illud,inquit,noſtris dicendũ eſt,hanc epiſtolam, quæ inſcribitur ad Hebræos non ſolùm ab eccleſiis Orientis,ſed etiam ab omnibus retro eccleſiaſticis Græci ſermonis ſcriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi,licet plerique eam Barnabæ,vel Clemẽtis arbitrentur,& nihil intereſſe cuius ſit, cùm eccleſiaſtici ſit viri, & quotidie eccleſiarũ lectione celebrẽtur. Quòd ſi eam Latinorum conſuetudo non recepit inter ſcripturas Canonicas, nec Græcorum quidem eccleſiæ Apocalypſin Ioannis eadem libertate ſuſcipiunt,& tamen nos vtraque ſuſcipimus nequaquam huius temporis conſuetudinem, ſed veterũ ſcriptorum autoritatem ſequentes.

QVI

QVI FVERINT Hebræi.

Iudæos Hebræos dici manifestiùs est, quàm quod explicatione indigeat. Vnde autem dicti sint Hebræi, nō perinde cōstat inter omnes. Nam reperio triplices sententias. Primùm quidam putarūt Hebræos dictos esse quasi Abrahæos, quam sentētiam aliquando secutus est Augustinus, vt est videre lib.1. quæstionū super Genesin, & lib.1. de consensu Euangelistarum. Item in quæstionibus mixtis in vtrunque Testamentum, & fuit hæc sententia etiam Clementis lib.1. recognitionum ad fratrem Domini. Alij dictos putarunt quasi Heberæos ab Heber, quam sentētiam sequitur Hieronymus in quæstionibus in Genesin. Et Eusebius lib. 7. cap. 2. de præparatione Euangelica. Et Galatinus lib.4.cap.20. Hanc sentētiam e-

tiam postea est amplexus Augustinus, vt est videre lib.1. retractationũ priorem scilicet corrigẽs, ac remittit, nos ad librum 16. ciuitatis Dei, quem vide cap.3. & 11. Tertij generis sunt Grammatici, qui Hebræos ab *Euer* propositione deriuant, quæ significat trans, seu vltra, cuius tamen radicale est *Auar* traiecit. Hinc *Iuri*, traiector. Porro illa compellatio primùm tributa est Abrahamo, singulari quodã ornamẽto, quòd scilicet voci diuinæ obediens factus, ex Vr Chaldæorum profectus, in terram Canaan iter facturus Euphraten traiecerit. Vnde ab incolis dictus est *Iuri* quasi dicas, Ibræus, hoc est, traiector. Habes hoc cognominis epitheton primùm Geneseos 14. Posteaquã enim Loth abductus esset ex Sodoma cum reliqua præda, illic scribitur: & venit qui eua serat & indicauit Abrahamo *Haiuri*

hoc

hoc eſt, Hebræo, &c. Hæc eſt vera ſententia de origine huius nominis. Nam vt deducas ab Abrahamo repugnat Orthographia, cùm Abrahę nomen per aleph ſcribatur, in *Haïuri* autem per ain. Vt verò ſumas ab Heber repugnat quod ante Abrahę tempora hoc nomen non reperiatur in vſu. Itaque ab Abrahami facto, & ipſe Abraham, & ipſius poſteri dicti ſunt Hebræi.

OCCASIO.

Occaſio ſcribēdi hanc epiſtolam Apoſtolo oblata eſt, partim ab indurata pertinacia Iudæorum, eorum nimirum qui Chriſtum palam perſequebantur, quemadmodum teſtãtur Apoſtolorum Acta. Hos igitur voluit reprimere metu iudiciorum diuinorum, ne pergerent in propriam perniciem ſæuire: partim verò oblata eſt illi occaſio, ex oſcitãtia eorum qui

iam Christo nomẽ dederãt. Nã hi ne gligẽtiùs adhuc de Christo sentiebãt, quasi legis appendice opus esset Christi cultoribus, quemadmodum videmus in superioribus epistolis passim hoc studiosè ecclesiis conatos esse obtrudere. Itaque hos ad perfectionẽ hortatur, vtrisque autem ostendit quãta sit Christi maiestas & dignitas.

ARGVMENTVM.

Hinc commodè sumi potest argumentum. Nam explicanda fuit dignitas Christi, tam reprobis quàm credentibus, ideo ostendit illum esse filium Dei, maiorem Angelis, Prophetis, Mose, Aarone, Leui, & sacerdotium eius esse perfectissimum, vt qui secundum ordinem Melchisedec constitutus sit summus Pontifex sanctorum, hinc consequitur, quod eius aduentu tota lex tanquam vmbra sublata sit, & Christi meritum o-

mnium

mnium sit perfectissimum, vt qui vnica hostia semel oblata suis inuenerit æternam salutem. Ad harum rerum considerationem excitat, vt cognoscāt iustitiam, quę ex Christi merito fluit, hanc apud Deum solam valere. Ideo capite 11. etiam ostendit veteres omnes hac fide esse absolutos, & demum ad exercitia bonorum operum, quæ ornent renati hominis professionem, hortatur.

PROPOSITIO.

Propositio est generalis, quæ ponitur cap. 2. scil. Iudæis sedulò curandum est, ne deinceps ita cōtemptim & neglectim vti hactenus doctrinā de Christo audiant. Rationes sunt, partim ex 1. partim ex cōsequentibus capitibus, quia filius est Dei, quia Angelis maior, & reliquis quicunque in veteri Testamento excelluerunt Patriarchis & Prophetis, & quia perfe-

ctum, & æternũ est eius sacerdotium, &c. cap. 6. ver. 20.

GENVS.

Genus principale didacticum est. Nam respicit hunc scopum, vt Christi meritum agnoscãt esse perfectum & absolutum, quo omnes corã Deo à peccatis possint absolui. Sed accedũt in tractatione varia, quæ hoc exornant & illustrant, imprimis συγκριτικὸν, comparatiuum. Nam in principio statim Christũ cõfert cum Prophetis, deinde altiùs ascendens confert eum cum Angelis, mox ad humana reuersus cum Mose, Aarone, Leui, & sacerdotium Christi cum sacerdotio Leuitico, dignitatẽ Christi cum Mosaica, omnibus hoc eripiẽs quod vni Christo confert, perfectionem scil. intercessionis, vni Melchisedec illum æquat tanquam verissimo typo. Accedit etiã Protrepticum, quo

horta

hortatur vt Christi doctrinam submissè admittant, & in illa in dies crescant, vt cap. 3. facit, & 4. ver. 11. & 6. ver. 12. item 10. ver. 19. & consequentibus. Accedit etiam ψεκτικόν, quo reprehendit in eis oscitantiam, vt cap. 5. ver. 11. & 6. ver. 12. vbi segnes appellat: tamen cõtra aliquoties laudat, quod est epæneticum, vt cap. 6. ver. 9. & 10. Item cap. 10. ver. 32. & 33. Sunt etiam quædam comminatoria, vt cap. 6. ver 4. & 10. ver. 25. vbi agit cõtra impœnitentes, vt eos iræ diuinæ grauitate terreret. Accedunt etiam quædam historica, vt cap. 7. narrat historiam de Melchisedec, quãdo vixerit, quid egerit, quanta fuerit eius dignitas apud Abrahamum, & similia. Item cap. 9. historicè narrat ornatum templi, & Leuitici sacerdotij, vt his omnibus Christi dignitatem possit præferre. quædam etiam ὁρισικά, vt cap. 11. de-

finit fidem, capite 6. iuramētum, &c. Omnia istuc respiciūt, vt Christo seriò agnito, vni huic nitantur.

PARTES EPIstolæ

Partes ferme perpetua disputatione cohærent. Nam exordium statim ab ipsa re sumitur. Ostēdit enim doctrinam Christi vnum esse ex modis diuinæ reuelationis, eúmque præstátissimum, cum sit per filiū factus, reliqui solùm per Prophetas. Hinc statim ingreditur collationem Christi & Angelorum vsque ad caput 2.

2 Capite 2. statuatur secunda pars, propositio, ad cuius confirmationem pertinebat totum exordium, ideo capita connectuntur per illationem.

3 Tertia pars ibidem statuatur ver. 2. quæ continet pleniorem cōfirmationem propositionis, quòd scilicet non minus contemni possit impunè hæc

hæc doctrina, quam legis doctrina, ac mox digreditur ver.6. vt ostẽdat cur Christus debuerit assumere carnem.

Capite 3. ingreditur nouum fundamentum de sacerdotio Christi, vt superiora ad personã commodè possint referri, consequentia verò ad officium Christi, pergit tamen in collationis ordine, & cum Mose primùm cõfert, & eodem cap. digreditur contra contemptores doctrinæ Christi.

Cap. 4. iterum concludit quòd Euangelij doctrina non sit cõtemnenda, quod vocat oblatam occasionem intrandi in requiem Domini negligere.

Cap. 5. Christi sacerdotium confert cum Leuitico, & cum prætulisset illum, inducit ordinem sacerdotij secundum ordinem Melchisedec.

Cap. 6. quasi iterum repetẽs pro-

positionem ad perfectionem hortatur, & iterũ agit contra cõtemptores.

Cap. 7. repetit collationem cum Melchisedec, & Leui, ac Aarone, vt omnibus perfectionis gloriã adimat.

Cap. 8. totam disputationem contrahit, & ostendit hoc sacerdotio exhibito tam perfecto vetera illa omnia esse abolita.

In hoc argumento pergit cap. 9. etiam. Nam perpetua est collatio sacerdotij, & Testamentorum quoque, & hîc Christo tribuit quod suis æternam acquisiuerit salutem, ver. 13. Atque hactenus doctrina de persona & officio Christi. Reliqua deinceps habẽt doctrinam bonorum operum, cap. 10.

Et cap. 11. fidei præstantiam nobis depingit, & ne conquererẽtur Iudæi ostendit Patriarchas omnes in veteri Testamento hac ipsa fide floruisse,

&

& ſubſtitiſſe coram Deo, quamdo cet Euangelium.

Cap.12. & 13. expreſſiùs perſequitur fructus fidei ſecũdum doctrinam Christi, ac hortatur ad tolerãtiam ſub cruce, ad beneficentiã, pacis ſtudium, vitæ innocentiam, dilectionem, hoſpitalitatem, caſtitatem corporis, frugalitatem, gratitudinem erga doctores, & ſimiles virtutes vſque ad ver. 18 vbi ſtatuatur Epilogus totius epiſtolæ, in quo pro ſe orari petit, mox cõprecatur illis gratiam Dei. Tertiò, vt boni conſulant diſputationem præſentis epiſtolæ, quod magis diſputando, quàm conſolando cum illis egerit: commendat etiam Timotheum, & annectit cõſuetas ſalutationes.

Demum comprecatione concluditur tota epiſtola.

FINIS.